



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

Liber CXXII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)



HISTORIÆ  
ECCLESIASTICÆ  
LIBER CXXII.

JULIUS II. PAPA.  
MAXIMILIANUS I. IMPERATOR  
OCCIDENT.

§. I.

*Julius Papa in obsidione Mirandula-  
na Belliducem agit.*

**B**ayardi Equitis incurfione adeo non  
terrebatuſ Julius, ut ipſus denuo  
in aciem copias ſuas educere ſtatue-  
ret; unde die ſecunda Januarii Anno Sa-  
lutis milleſimo quingentefimo undecimo

Sæcul. XVI.  
A.C. 1511.

*Marian. lib.  
30. c. 10.*

*Hiſt. Eccleſ. Tom. XXXII. N Bono-*

Sæcul. XVI.  
A C. 1511.

*Paris de  
Grassist 3.  
M. S. Vatic.  
pag. 22.*

*Hist. du Che-  
valier. Bay-  
ard. c. 3.*

*Raynald. hoc  
ann. n. 44.*

*Spond. hoc  
ann. n. 1.*

*Guicc. l. 9.*

Bononia profectus, comitantibus eum tribus Cardinalibus ad sua castra concessit, ubi in parvula rustici cujusdam casa hostilium tormentorum fulminibus ex urbe emissis exposita divertit, neglectis pro vectæ ætatis incommodis, necnon dignitatis suæ sublimitate; nec magis sollicitus erat de Concilio, quod (\*) convocaturi essent, non enim sibi timebat, ne forte eisdem speciosum exauctorationis suæ obtentum suppeditaret. Omnibus hisce insuperhabitis ipse castrorum ordines obsequitabat, diu noctuque tormentorum suggestus perlustrans, oppugnantium opera urgebat, ac tormenta locari jubebat, nunc milites suos blanditiis, nunc minis stimulabat, totusque in eo erat, ut obsessorum, quorum Pater erat, acceleraret exitium, atque animarum, pro quibus tamen æque ac pro sua Deo rationem redditurus esset, ruinam promoveret (\*\*).

§. II.

(\*) Hanc reflexionem Continuator ex Spondano mutuavit, qui tamen loco citato hæc verba addit: Alioqui contra fas & æquum.

(\*\*) Insulsam Continuatoris Rhetoricam prudens lector nauseabit. Ergone illi Reges, qui Papam ad armorum societatem inducebant, eundem ad promovendam animarum ruinam excitabant.

## §. II.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1511.*Papa in vitæ periculo.*

**N**ihilominus loci incommoditas, periculi gravitas, aerisque inclementia obfirmatam pugnandi aviditatem devicit; unde Julius per aliquot dies Concordiam secedere compellebatur, ubi nuncium accepit, conjurationem Florentiæ conflantam tandem fuisse detectam, quippe in Soderinum veneno necandum nonnulli conspirabant, cum enim hic vir cetera apud Rempublicam maxima auctoritate polleteret, Florentinis auctor fuisse credebatur, ut isti cum Francia foedus inirent. Equidem Papa parum hosce vulgi rumores adversus se sparsos curabat, cum enim bellandi cupiditate penitus esset absorptus, haud alia sollicitudo ejus animum occupabat, quam ut cæptos obsidionis labores perficere posset, unde quamvis non ita pridem copiis suis adfuisset, nihilo secius tamen veluti absentiam suam incubabat, moxque ad castra, haud eum remorante densissima nivium procella, revertebatur, in quodam Sacello a Mirandulæ mænibus parum distito tentoria sua figens; cum vero domesticorum suorum plures emissis tormentorum globis cæsi fuissent, & ipse tandem locum deserere coactus est, remotiorem indagaturus.

N 2

Cete-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1511.

Ceterum nequidquam impenso milites stimulandi ardore, frustra etiam proposita diripiendæ urbis spe, segnius tamen res bellica in obsidione Mirandulæ gerebatur, ex adverso Alexander Trivultius, ejusdem nominis Franciæ Marecalli Nepos, quamvis quadringentos duntaxat præsidarios numerasset, invito robore oppugnantium impetus sustinuit, potissimum vero ejus fortitudinem accenderunt sperata recentis militiæ subsidia, quæ Ciamontius adducere credebatur, qua tamen spe ex ejusdem Belliducis errore frustratus est: Is enim Bononia recedens, cum ferme mensis December ad finem vergeret, a bellicis expeditionibus cessandum existimabat, unde pro more tum stabilito exercitus suæ peditatum missum fecerat.

§. III.

*Papa Mirandula potitus, urbemque ingressus.*

*Spond. hoc  
ann. n. 1.*

*Raynald. hoc  
ann. n. 46.*

Præterea Ciamontius cæptam Mirandulæ obsidionem serius compererat, & quamvis accepto rei nuncio, nulla mora accurisset, nihilominus Pontificis solertia, qua expugnationem urgebat, longe animosior, aut saltem magis erat prospera, quam Ciamontii festinatio, qua urbi succurrere satagebat, quippe nu-  
datis

datis Mirandolæ mœniis, fossisque tam Sæcul. XVI.  
 densa glacie repletis, ut ad tentandum A.C. 1511.  
 affultum illas viminibus, cæsisque mate-  
 riis implere haud opus esset, tandem præ-  
 fidiarii milites urbem, murorum ruinis  
 late viam pandentibus, die vigesima Ja-  
 nuarii dederunt, ea lege, ut omnes bel-  
 li Præfecti in captivitatem abstraheren-  
 tur. Deditioe accepta ipse Pontifex per  
 dejecti muri ostia Victor urbem ingredi-  
 tur, tanta pompæ ostentatione, qua ma-  
 jori cujusdam viginti annorum Belliducis  
 victoria vix celebrari posset. Captæ ur-  
 bi quingentos Hispanos, trecentosque  
 Italos præfidiarios imposuit, ut Gallis re-  
 deundi spem præscinderet. Demum Mi-  
 randola profectus Bononiam revertitur,  
 copiis suis Ferrariam, quam obsiderent,  
 contendere jussis: cum vero laboribus  
 fractus in morbum incideret, Bononiæ  
 substitit, paulo post Ravennam delatus,  
 interea vero ejus copiæ Bondenum, Ve-  
 netorum autem agmina Cencium in hy-  
 berna deducebantur.

## §. IV.

*Galli Mutinam capere nequidquam  
 tentantes.*

Comperta Mirandulanæ urbis expugna-  
 tione Ludovicus Galliarum Rex su-  
 um agnovit errorem in eo, quod Eccle-  
 siæ

Sæcul. XVI.  
A.C. 1511.

siæ statibus parcere Ciamontium iussisset, quocirca deinceps Julium II. velut capitalem suum inimicum habere decrevit. Ergo Ciamontius, convocato belli Senatu, ipsoque Ferrariensi Duce adesse rogato exposuit, copias Bondenis propugnaculis admovendas, demum vero Cenciensia castra esse oppugnanda; censebat enim, quod hoc pacto, licet summus Pontifex prospero hujus expeditionis successu haud opprimeretur, saltem innimuta Gallici nominis fama reparari, & Ferrariensis Ducatus ab hostium metu liberari, ac demum Marchio Mantuanus ad Gallorum obsequia compelli posset. Displicuit Trivultio Ciamontii consilium, utilius fore ratus, si aut Bononia, aut Mutina cingeretur: ast prævalente Ferrariensis Ducis sententia, Galli in hostes movent, ipse Dux primum agmen ducit, Trivultius postremum, Calvimontio mediæ aciei imperante, jamque ad unius leucæ distantiam Bondenum nullo obstente perveniunt: verum occurrentibus, quæ superari haud poterant, obstaculis territi, hostes suos aggredi desperabant, Duxque Ferrariensis temerarios ausus suos damnabat; equidem Calvimontius ad Mutinensem urbem castra movere iussit, illamque dura obsidione preffit, sed frustraneo prorsus conatu; obstabant enim aeris intemperies, & continuæ nivium

vium procellæ, ac potissimum invicta fortitudo Marci Antonii Columnæ, qui cum præfidiario Pontificis milite urbem tuebatur, cunctosque hostium impetus strenue eludebat.

Sæcul. XVI.

A.C. 1511.

Marian. lib.

30. n. 10.

§. V.

*Mutina Cæsari a Papa velut Imperii feudum restituta.*

Præterea Rex Catholicus, Gallis omnem occupandæ urbis spem prærepturus, consilium in astu, atque stratagemate quæsit, Papam compellens, ut Mutinam, eoquod Imperio jure fiduciario obnoxia esset, Maximiliano redderet. Ergo jussu Pontificis Marcus Antonius Columna urbem Vitfrustro Cæsarei exercitus in Longobardia Præfecto restituit, Ciamontius autem, quamprimum Cæsaris vexilla muris infixæ conspexerat, urbem aggredi cessabat.

Guic. l. 9.

§. VI.

*Ciamontii Marescalli obitus.*

Mutina Cæsari reddita, paucis post diebus Ciamontius Corregii morbo corripitur, cumque frustratæ Bononiensis expeditionis tædio afficeretur, atque acerbiores Gallorum ejus imprudentiam incusantium cavillationes ægerrime fer-

Claud. Seyf-

sel vit. Lud.

XII.

Marian.

n. II.

N 4

ret,



**Sæcul. XVI.** ret, tam ardenti feбри opprimitur, ut de-  
**A.C. 1511.** cima quinta ægritudinis die, undecima  
 autem mensis Februarii Anno Domini  
 millesimo quingentesimo undecimo vivis  
 ereptus esset, quamvis nonnisi trigesimum  
 octavum ætatis suæ annum expleffet.  
 Corpus ejus Ambasiam delatum in Tem-  
 plo Franciscanorum sepultum fuit. Obi-  
 tu suo plures, eæque amplissimæ vaca-  
 bant dignitates: erat enim Calvimontii,  
 Sagonæ, Meillani &c. Toparcha, Re-  
 gii Ordinis Eques, ac demum supremus  
 Magister, Franciæ Marecallus & Archi-  
 thalassus, Lutetiæ Parisiorum, Medio-  
 lanensis Ducatus, statusque Genuensis,  
 necnon Normanniæ Provinciæ Guberna-  
 tor, denique supremus in Longobardia  
 Regis Vicarius. Diverforum diversum est  
 de hoc Viro judicium, quippe Historico-  
 rum non pauci illum in variis occasio-  
 nibus exigua usum fuisse prudentia insimu-  
 lant, & si quid nominis sibi comparaf-  
 set, id non propriæ fortitudinis suffra-  
 gio, sed duntaxat Ambasiani Cardinalis  
 Patruī sui favore sibi conciliasse pronun-  
 ciant: alii tamen Ciamontium commen-  
 dant tanquam Belliducem dignitatibus,  
 quibus a Ludovico XII. auctus fuisset,  
 minime indignum, bello ac pace sum-  
 mum, magnisque rebus gerendis maxime  
 idoneum. Uxorem habuit Joannam Ma-  
 letam de Gravilla Marcuffis Dominam,  
 ex

*Hist. du Chev.*  
*Bayard. c.*  
 47.

ex qua Georgium de Ambasia Calvimontii Toparcham suscepit, qui cælebs ætatis suæ anno vigesimo secundo, Christi millesimo quingentesimo vigesimo quarto mense Februario in prælio Papiensi occubuit.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1511.

## §. VII.

*Trivultius in exercitus Imperio  
subrogatus.*

Ciamontio fati functo, Trivultius inter Marescallos senii prærogativa primus, Gallici exercitus imperium suscepit, donec alius a Rege præficeretur. Tum unica Trivultium sollicitudo occupabat, ne ipsius exercitus dispergeretur, cetera quamvis summo Pontifici propensus non esset, ejus tamen indignationem, cum natione Italus esset, provocare minime audebat.

## §. VIII.

*Pontificii, ac Veneti Bastiæ a Trivultio cæsi.*

Nihilominus exercitus sui partem, quam Ferrariæ Dux, cum novam quamdam expeditionem moliretur, sibi mitti petierat, recusare haud poterat. Nec huic Ducis consilio optatus deerat successus; Julius enim milites suos emittebat, ut Bastiam cingerent, quæ est urbs exigua

N 5

gua

Sæcul XVI. A.C. 1511 gua quatuor leucis a Mutina distans, ac parvæ Insulæ, quam Scultena fluvius alluit, incumbens; re comperta Ferrariæ Dux equites suos Padum continuata serie obsidere jussit, peditesque navibus imposuit, opportuno sane consilio; quippe non modo equitatus, sed etiam pedites, priusquam cæpti itineris notitia ad obsidentes pervolaret, Bastiæ conveniunt, cumque ob aeris asperitatem Urbinatis Dux, qui obsidioni præerat, exploratores emittere neglexisset, præcipua obsidionalis statio a Ferrariensi Duce intercepta est; ac ipsemet Urbinatis Dux vix non ab eodem captus. Armorum strepitu ad ceteras quoque stationes effuso, milites fuga dilabuntur, exceptis Hispanis, quos Ferrariensis a fronte adortur, Bastiæ præsidariis interea a tergo hostem aggredientibus; ita ut Hispanorum agmen penitus deleretur, victores vero altera die Ferrariam ingrederentur, exiguo admodum suorum dispendio, ac majori longe fortitudinis gloria. Cecidere hostium quatuor, aut ferme quinque millia. Postmodum Trivultius Bastia Stellatam venit, ubi quingentos equites fudit, trucidato eorum Præfecto Leonardo de Prato Rhodiorum Equite, Veneti exercitus Tribuno longe celeberrimo, qui has copias in quadam latebrosa valle absconditas tenebat.

§. IX.

## §. IX.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1511.*Ferdinandus Cæsarem a Gallorum  
studiis avertere conatus.*

Rex Catholicus Gallorum potentiam in Italia nimium excrescere, præcipue si Julii Pontificis vires penitus attereretur, haud temere verebatur, hinc Maximiliano significari jussit, quod omnium opportunissimam occasionem negligeret, qua sine sanguinis dispendio quicquid Germani in Italia amisissent, recuperare posset; Gallis vero diutius adhærendo, Pontifici quidem ac Venetis exitium pararet, ast horum ruina tantopere Galliarum Regis potentiam augeret, ut ille demum nullo negotio totius Italiae imperium sibi vindicare possit; ceterum Germani, inquit Rex Catholicus, haud solliciti sint, qua ratione urbes a Venetis usurpatas recuperent, dummodo illis potiantur, præ reliquis tamen magis consultum foret, si Cæsarea sua Majestas Mantuæ conventum ageret, eoque suum Legatum decerneret; certo certius enim eventurum, ut ipse etiam Ludovicus suos Oratores illuc missurus, nec Pontifex quoque hac in parte defuturus sit; cum hic pertimescat, ne a Synodo adversus eum convocanda exauctoretur, de cetero Venetorum Respublica, quæ aliunde cum  
Papæ

*Petrus de  
Angl. epist.  
l. 24.*

Sæcul. XVI. A.C. 511. Papæ consiliis lubenter conspirat, facile quicquid ab ea petetur, executura est, præcipue tamen ad id adigi poterit, ut omnia, quæ ab Imperio generatim, ac speciatim a Domo Austriaca tenet, protinus restituat, hoc pacto Germanorum potentia in Italia adeo firmabitur, ut brevi pristinae auctoritatis splendorem recuperatura sit.

## §. X.

*Consilium Cæsari probatum, ac Galliarum Regi perscriptum.*

*Guic. l. 9.*

Captabat Maximiliani animum fiducia auctoritatem suam in Italia rursus stabiliendi, nec segnius eundem stimulat ibidem potentiam suam supra Ludovicum extollendi voluptas. His lenociniis expugnatus Cæsar, Regis Catholici consiliis aquievit, hancque in rem ad Franciæ Regem literas dedit, significans, tantandum adhuc esse Regis Catholici consilium, ut summus Pontifex erroris sui plene convinceretur, ei autem rationi locum cedere renuenti haud ultra parcendum, de cetero se nullo pacto, aut cum Julio, aut cum Venetis inconsulto Galliarum Rege concordiam initurum, rogare tamen, ut Rex ad Mantuana comitia protinus Oratorem mitteret.

## § XI.

## §. XI.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1511.*Mantuani conventus convocatio Gal-  
liarum Regi varias ob caus-  
sas probata.*

Displicuit Ludovico summopere hæc Maximiliani agendi ratio, præprimis vero, recens illa Cæsarem inter & Ferdinandum amicitia ejus animum variis curis distraxit; nihilominus belli tædio affectus, totiusque Europæ invidiam veritus, Cæsaris voto acquievit, nominavitque Stephanum Poncherium Parisiensem Episcopum, Virum sacrorum Canonum peritia in toto regno longe celeberrimum, necnon in Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus versatissimum; hic ergo mittebatur, ut Mantuano conventui Orator assisteret: igitur Poncherius Mantuam pervenit tertio die post adventum Gurcensis Episcopi, qui velut Cæsaris Minister ad hanc urbem se contulerat, comitante eum Urrea, qui apud Maximilianum Ferdinandi Legatum agebat: ad eundem quoque locum accesserant Hispaniæ Regis nomine Catanensis Episcopus, necnon Hieronymus de Vico.

Eodem tempore summus Pontifex Ravennæ agebat; vix autem comperta, quæ Gurcensi Episcopo demandata erat, potestate, Papa illius colloquium appetebat,

*Sammark.  
Gal. Christ.  
Raynald hoc  
an. n. 52.  
Paris tom. 3.  
p. 667.*

Sæcul. XVI.  
A.C. 1511. bat, ut ab eo Cæsaris consilia in Conven-  
tu proponenda explorare, simulque Præ-  
fulem, ne cum Parisiensi Episcopo con-  
spiraret, abstrahere posset: cum vero  
Gurcensis Antistes fastidiosi arrogantis-  
que genii vir esset, Papa ipse eidem per-  
scribere noluit, sed Hieronymum de Vi-  
co, qui Romæ Arragonicam legationem  
obibat, datis literis rogabat, ut Gurcen-  
sem ad Ravennatense iter inclinaret. Er-  
go Vicus, aliunde Vir dexteritate, ac  
animos captandi gratia nemini secundus,  
Mantuæ Gurcensem Episcopum accedit,  
tantoque verborum artificio adoritur, ut  
illum suis votis plene obsequentem dimit-  
teret. Verum toto conatu obstitit Ste-  
phanus Poncherius, affirmans, quod Gur-  
censis Episcopus a Cæsare non Raven-  
nam, sed Mantuam missus fuisset. Ni-  
hilominus Vicus simulato in Gallos affe-  
ctu, ac singulari humanitate Parisiensi  
Episcopo exposuit, quod ambos ab uno  
solo Oratore Pontifici commendari, plu-  
rimum Cæsaris ac Ludovici intersit, id  
quoque Christianæ Reipublicæ salus om-  
nino exposcat, eoquod vel maxime ex-  
petendum sit, ut Papa exacerbatum pla-  
cetur. Poncherius his expugnatus,  
Gurcensis Episcopi proposito oblectari  
desistit.

## §. XII.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1511.*Gurcensis Episcopus, Bononiæ Pa-  
pam accedens.*

Ergo utrinque sancitum, ut Papa Bo- *Raynald. hoc*  
noniam usque procederet, eumque *ann. n. 52.*

Episcopus ibidem conveniret, Parisien-  
sis vero Præsul Mantuæ socii sui adven-  
tum præstolaretur. Neminem alium præ-  
ter Gurcensem Romana Curia unquam  
pompa magis ad assentionem composi-  
ta excepit, omnibus aulicis usque ad ur-  
bis portam obviam effusis: cum vero Ger-  
manus iste Præsul inter ceteros Venetæ  
Reipublicæ Oratorem penes Papam con-  
spiceret, eum vehementius alloquens,  
temeritatem exprobrabat, qua coram  
Oratore Cæsaris, a quo tamen Respub-  
lica proscripta esset, comparere præsu-  
meret.

## §. XIII.

*Gurcensis Episcopi arrogantia coram  
Pontifice.*

Post hæc Episcopus ad sanctiorem Pa- *Spond. ad*  
trum Senatam introducitur, ubi sum- *an. 1511. n. 2.*  
mus Pontifex cum omnibus suis Cardi-  
nalibus adventantem expectabat, a quibus  
etiam singularibus honorum signis exce-  
ptus, paucis admodum verbis exposuit,  
se ab Imperatore suo Domino ad concil-  
lian-



Sæcul. XVI.

A.C. 1511.

liandam pacem in Italiam missum fuisse, nec tamen illam ullatenus sperandam, nisi prius Veneti, quicquid Cæsaris esset, reddidissent. Papa e Patrum Senatu egressus, cum Episcopo colloquium ab arbitraris semotum miscebat, irritum tamen successu; nihilominus haud quaquam territus Præsulem, ut eum a præconcepto averteret proposito, ita allocutus est: paucis ante adventum tuum diebus quosdam sacro Cardinalium collegio adscriptissimus, unum, quem tum haud nominare volumus, nobis reservavimus, suo tempore pronuntiandum: his verbis Papa Præsuli haud obscure indicabat, quod secreta illa nominatio non alium ac ipsum tangeret, hæcque dignitas, si Episcopus Papæ votis annueret, ejus præmium foret. Ast Prælatum de mente Pontificis, promissique integritate forte dubius, hisce parum moveri videbatur, nec suam arrogantiam diminui, nec constantiam expugnari patiebatur.

## §. XIV.

*Colloquia inter tres Cardinales, totidemque Proceres Germanos ab Episcopo nominatos.*

Ceterum summus Pontifex, ut hujus viri repugnantiam vinceret, cum forte suorum Cardinalium quosdam se ipso

ipse magis idoneos censeret, eorum tres **Secul. XVI.**  
 nominabat, qui cum Episcopo privatim con- **A.C. 1511.**  
 ferrent; hi erant, Cardinalis S. Georgii,  
 Rheggiensis, ac Medicæus, omnes tres  
 ex toto Purpuratorum collegio Viri lon-  
 ge spectatissimi. Verum Gurcensis Epi-  
 scopus se haud inferiorem ratus, non  
 cum aliis quam cum ipso summo Ponti-  
 fice agere, animo constituit, neve quic-  
 quam suæ derogaret dignitati, ipse etiam  
 pro parte sua tres nominabat Proceres,  
 qui cum deputatis Cardinalibus confer-  
 rent. Enimvero in quacunque alia oc-  
 casione Papa ejusmodi colloquium non  
 sine indignatione dissolvisset, attamen  
 prævaluit vehementior animi sui motus,  
 quo Gallis infensus Regis superbiam fran-  
 gere statuit, utque proposito suo satisfac-  
 eret, cæremoniis aliunde solitis super-  
 sedere censuit: quapropter dolori, quem  
 ei Præsulis arrogantia creaverat, impe-  
 rans, consultationes inter tres Cardina-  
 les a se nominatos, totidemque Germa-  
 nos Proceres haberi consensit; cum au-  
 tem Pontifici nil optabilius esset, quam  
 particularis Maximiliani cum Venetis  
 concordia, ideo hæc eadem primum  
 erat colloquii argumentum, de quo qui-  
 dem diu utrinque disceptatum fuit, ni-  
 hil tamen decisum. Nihilominus quavis  
 consultatione absoluta singuli Delegati  
 suis Dominis gestorum rationem redde-  
 bant,

*Hist. Eccles. Tom. XXXII.*

O bant,

Sæcul. XVI.  
A.C. 1511. bant, a quibus nova recipiebant manda-  
ta, prout unicuique magis expedire vi-  
debatur. Ceterum Episcopus, ut Italos  
deprimeret, mandata nonnisi ore tenus  
prolata exposuit, eaque adeo imperiosa,  
ut absque suo consilio, ac sententia  
nec minimum quidquam mutari permit-  
teret.

## §. XV.

*Concordiæ articuli Cæsarem inter &  
Venetos rejecti.*

Cum igitur Episcopus nihil de proposito  
suo remitteret, tres illi Cardinales  
gravi verborum pondere Germanis Pro-  
ceribus significant, quod tanta arrogan-  
tia Sedem Apostolicam vilipendi prorsus  
indignum esset, cum id saltem decentiæ  
leges ab Episcopo peterent, ut in Pontifi-  
cis obsequium de sua sententia in aliquo  
saltem puncto decederet. Post hæc Ger-  
mani Proceres Cardinalium preces Gur-  
censi Episcopo exponebant, qui respon-  
dit, Maximilianum cum Venetorum Re-  
publica concordiam initurum, ea tamen  
lege, ut quicquid Imperio, ac Domui Au-  
striacæ eripuissent, restituerent, exce-  
ptis Patavio & Tarvisio, quas urbes re-  
tinere permetterentur, pactis hisce dua-  
bus conditionibus, vi quarum I. has ci-  
vitates tanquam beneficiaria Imperii præ-  
dia

*Bembo hist.  
Venet.*

dia possiderent. II. Pro inaugurationis Sæcul. XVI.  
 diplomate ducenta aureorum milia, ac A.C. 1511.  
 quinquaginta milia quotannis penderent.  
 Hæc pacta Reipublicæ adeo onerosa  
 Hieronymus Donatus, apud Pontificem  
 Venetorum Orator, quin novis instrue-  
 retur mandatis, firmare non audebat.  
 Hac super re Senatores in diversas ab-  
 ibant sententias, potissimis eorum arti-  
 culos ita expositos omnino rejiciendos  
 esse censentibus. Nihilominus Episcopi  
 postulatis responderi permittebant, unde  
 ipsimet Venetorum Oratori datum est  
 negotium, ut hanc in rem Reipublicæ  
 mentem exponeret, quod & ipse magna  
 rationum soliditate exequebatur: Igitur  
 prætermissa discussione jurium, quæ ad  
 urbes a tempore Cameracensis fœderis  
 amissas Venetis suffragari viderentur,  
 Rempublicam illis quibuscunque demum  
 omnibus juribus cessuram pollicebatur,  
 solidis autem rationum momentis tueba-  
 tur patriæ suæ jura, quæ in Tarvisium,  
 Vicentiam, Patavium, ejusque ditio-  
 nes in continenti sitas haberet, ac hucus-  
 que conservasset: ad horum etiam de-  
 fensionem Orator tam validas attulit ra-  
 tiones, ut hæc nullo responso infirmari  
 possent, ac ipse Pontifex, si vel unquam,  
 nunc quoque Venetorum causam mani-  
 festæ, ac certissimæ æquitati inniti cen-  
 suisset, nisi eos ad particularem cum  
 O 2      Cæsa-

Secul. XVI Cæsare pacem inclinare statuisset; unde  
A.C. 1511. reposuit, se justitiæ legibus obstringi, ut  
 Maximiliano, quæ ab eis peteret, pro  
 parte adjudicaret. Demum & ipse E-  
 piscopus Gurcensis aliquantulum propo-  
 sitionum suarum asperitatem mitiga-  
 vit, unde concordiae spes inter utramque  
 partem affulgere videbatur, sequentibus  
 propositis conditionibus.

I. Veneti, quæ in Foro-Julienſi, ac  
 Histriensi tractu possident, retineant; II.  
 Pariter Patavium & Tarvisium cum suis  
 territoriis velut beneficiaria Imperii præ-  
 dia conservent; III. harum ditionum in-  
 vestituram accipiant, ac pro diplomate  
 infra varios temporis terminos Cæsari  
 quadringenta aureorum millia solvant.

§. XVI.

*Mantuae conventus dissolutus.*

Verum hæ conditiones nullo foedere  
 firmabantur; quippe Maximilianus  
 Gurcensi Episcopo, ne pacem cum Vene-  
 tis ratam haberet, disertis verbis injunxit,  
 nisi eodem tempore Papa cum Gallia-  
 rum Rege, ac Ferrariæ Duce concor-  
 diam stabiliret. Id vero vel maxime Pa-  
 pæ consiliis adversabatur, qui potius pa-  
 cem Cæsarem inter & Rempublicam con-  
 ciliare satagebat, eo fine, ut ipſus no-  
 vo rerum suarum compendio bellum in  
 Gallos

Gallos movere posset: quapropter eo <sup>Sæcul. XVI.</sup>  
longius Papa a pace aberat, quo propius <sup>A.C. 1511.</sup>  
Galli accedebant, tandemque res eo pro-  
trahebatur, ut Episcopus Bononia exce-  
deret, postquam ibidem re infecta quin-  
decim omnino dies hæsisset, moxque Mu-  
tinam concessit, nec de Curia Roma-  
na, nec de Pontifice mentionem fieri ul-  
tra sustinuit. Papa re maturius perpen-  
sa, suam in Gallos indignationem paulo  
apertius demonstrasse dolebat, unde  
quantocius Lusitanæ Legatum sibi in  
paucis carum, atque aliunde Maximiliani  
studiis addictum ablegabat, qui Episco-  
po abeunti fidem faceret, quod mitiora  
in Ludovicum XII. statuerentur; Præ-  
sul tamen redire detrectabat, quamvis  
forte denuo placatus fuisset, nisi incidens  
eventus animum ejus penitus exulce-  
rasset: Bononia enim excedens accepit  
nuncium, quod Julius induciarum, quas  
durante Mantuano conventu Galliarum  
Rex pactus erat, opportunitate usus, in  
Genuenses clam movisset, qua re Papa  
Episcopi indignationem, sibi que non leve  
fastidium accersivit; quippe expeditionis  
propositum cautius occultaturus, Vinte-  
meliensem Episcopum Mercatoris habitu  
indutum Genuam præmisit; ille vero  
boum agmen agens, deprehensus, ca-  
ptusque Mediolanum abstrahatur, ubi  
totam rei seriem manifestabat. Equi-

Secul. XVI.  
A.C. 1511. dem reverentia erga Sedis Apostolicæ  
Ministram, aliunde culpam ultronee fas-  
sum, Genuenses cohibuit, ne ab eo pœ-  
nas exposcerent, ceteri vero complices  
non eandem indulgentiam experti, una  
omnes Genuæ variis suppliciis multa-  
bantur.

## §. XVII.

*Octo Cardinales a Julio creati.*

Priusquam vero Garzensis Episcopus  
Bononiam adventu suo honorasset,  
Julius Papa paulo ante Ravennæ octo  
Prælatos purpura decoravit; horum pri-  
mus erat Christophorus Brambiggius,  
natione Anglus Eboracensis Archiepisco-  
pus, Presbyter Cardinalis tit. S. Pra-  
xedis, Henrici VIII. apud summum Pon-  
tificem Legatus, qui hanc sibi dignitatem  
promeruerat, quod Regem a Gallorum  
partibus abstraxisset, cetera literarum ex-  
pers, atque insolentis, valdeque intem-  
perati ingenii Vir. II. Antonius Clocchi,  
quem alii Montanum, seu a Monte di-  
cunt, natione Italus, Siponti Archiepis-  
copus, Presbyter Cardinalis tit. S. Vita-  
lis, postea S. Praxedis, ac Portuensis E-  
piscopus. III. Matthæus Schiner cogno-  
mine Langius, ex Helvetia oriundus, Se-  
dunensis Episcopus, Presbyter Cardina-  
lis tit. S. Pudentianæ, atque Novarrien-  
fis

sis Episcopus. Hic idem Pontificis hor-  
 tatu Helvetios populares suos, ut a Lu-  
 dovico XII. deficerent, induxit. IV. Pe-  
 trus Accolius, patria Florentinus, An-  
 conitanus Episcopus, Cardinalis Presby-  
 ter tit. S. Eusebii, postea Gaditanus, Ma-  
 leacensis, Attrebatensis, & Cremonensis  
 Episcopus, demum Ravennatensis Ar-  
 chipræsul, ac postremo Albanensi, Præ-  
 nestinæ, ac Sabinensi Ecclesiæ præposi-  
 tus. V. Achilles de Grassis, Bononien-  
 sis, ejusdem urbis Episcopus, Presbyter  
 Cardinalis primo tit. S. Sixti, postea  
 S. Mariæ trans Tiberim. VI. Franciscus  
 Argentinus, patria Venetus, Episcopus  
 Concordiensis, Presbyter Cardinalis tit.  
 S. Vitalis, demum S. Clementis. VII.  
 Bendinellus Saulius, Genuensis, Hiera-  
 censis Episcopus, Cardinalis Diaconus  
 tit. S. Adriani, postea Presbyter tit. S. Sa-  
 binæ. VIII. Alphonsus Petruccius Se-  
 nensis, Suanensis Episcopus, Cardinalis  
 Diaconus tit. S. Theodori, sub Leone X.  
 purpura exutus. His Onuphrius perpe-  
 ram adjungit Gurcensem Episcopum non-  
 nisi sub eodem Leone X. Purpuratorum  
 Senatui adscriptum (\*).

## §. XVIII.

(\*) Paggius in Breviario Gestorum Rom.  
 Pontific. Gurcensem sub Julio II. Cardinala-  
 tus dignitate decoratum fuisse, ad hunc annum  
 O 4. 23. 11. 11. numer.



Sæcul. XVI.  
A. C. 1511.

§. XVIII.

*Trivultii exercitus in aciem  
eductus.*

*Petr. de Ang-  
leria epist.  
452. & 453.  
Guic. l. 9.  
f. 271.*

Soluto Mantuæ conventu, mox acrius quam unquam exarsere utriusque partis studia. Trivultius redintegrato bello, die prima Maji exercitum mille ducentis Lanceariis, peditumque septem milibus validum in aciem eduxit, ad Padi litora castra metatus; dum interea adversam fluvii oram Papæ exercitus, cui Urbinatis Dux præerat, occupasset. Equidem ad conciliandos dissidentium animos Rex Catholicus nil intentatum reliquit, ac Cabanillæ, qui apud Franciæ Regem legationem obibat, injunxit, ut Gallo exponeret, eum Regis Christianissimi nomine prorsus indignum esse, si Papam opprimere pergeret, Pontifici haud deesse fautores, facile eum ad sua studia ultra mediam Christianorum Principum partem pertracturum, Ludovici vero Regis partium esse, ut schisma, quod in Ecclesia conflare inciperet, protinus supprimeret, bellique Religioni Christianæ non nisi

numer. 48. affirmat, ac referens Spondani sententiam subjungit: Continuator Hist. Ecclesiast. Abbatis Fleury, qui Spondanum transcribit, perinde sicut & ipse opinatur.

nonnisi summe exitiosi flammam extin- saecul. XVI.  
 queret, praesertim cum id eidem facilli- A. C. 1511.  
 mum foret, dummodo Ferrariae Ducem  
 tueri desisteret.

§. XIX.

*Gallarum Rex contra Hispaniae Le-  
 gatum conquestus.*

**H**is Rex Christianissimus ita reposuit:  
 mihi haud ignota sunt Pontificis  
 consilia; quibus Ferrariensium exitio si-  
 bi ad invadendum Mediolanensem Du-  
 catum magis expeditam viam para-  
 re nititur, nec me latet, quod a concor-  
 diae consiliis haud alienum foveret ani-  
 mum, nisi Hispanorum armis fulciretur;  
 Rex quidem Catholicus bellum Africa-  
 num obtendit, interea tamen suam classem  
 in Hispania ad Mediterranei maris o-  
 ras, militibus, omnique armorum appa-  
 ratu instructam in duas partes dividi  
 jussit, quarum una ad Barbariae oras ex-  
 currit, altera vero Neapolim versus vela  
 facit, octo armatorum millia, omnes  
 natione Hispanos, ac selectiorem Ferdi-  
 nandi militiam secum vehens; hic jam  
 apparatus minime pacis desiderium te-  
 statum facit: si vero Rex vester integra  
 fide concordiam meditaretur, abs du-  
 bio juberet, ut ejus copiae a Pontificiis  
 sejungerentur, classisque apparatu belli-

Sæcul. XVI. A.C. 1511. co nudaretur. Accepto hoc Ludovici responso, Rex Catholicus quantocius classem, copiasque revocavit.

## §. XX.

*Trivultius capta Concordia, versus Bononiam movet.*

*Coccin. de bello Ital. Raynald. hoc ann. n. 58.*

Interea Trivultius copias suas Concor-  
diensi urbi admovit, eamque deditio-  
ne accepit; cum vero Mirandulanæ Comi-  
tissæ parens esset, & aliunde Julio infen-  
sus, injuriam Comitissæ a Pontifice illatam,  
quod ejus ditiones occupasset, ulcisci ag-  
greditur; tunc temporis enim Pontifex  
Bononia excedere meditabatur, ubi qui-  
dem quosdam, qui tamen disciplinæ mi-  
litaris leges ferme ignorabant, præsidia-  
rios relinquebat, ipse vero discessum suum  
vehementer urgebat, haud sibi tutum  
in urbe locum existimans: cum vero Hi-  
spanorum copiæ a Rege Catholico revo-  
catæ, atque a Pontificis exercitu sejun-  
ctæ redirent, iisdem velut præsidio usus,  
Ravennam reversus est. Bentivolii com-  
perta Pontificis absentia Trivultio, quo-  
cum secreta agitabant consilia, pollicen-  
tur, se eidem suorum fautorum ministe-  
rio Bononiensis urbis portam traditu-  
ros: Ergo Trivultius mox copias suas  
adducit, urbemque nullo resistente ingre-  
ditur; Dux enim Urbinas, qui a Papa  
Patruo

patruo suo hujus urbis Præfectus nominabatur, Gallorum adventum, ac clandestina eorum commercia cum Optimatum nonnullis edoctus, non sine ignaviæ nota unacum suis Officialibus, ac præsidariis Bononia excessit: Igitur Pontifex cum se proditum cerneret, atque a civibus, etsi adversus Gallos se tueri vellet, potenter defendi desperaret, in hostium manus incidere merito verebatur.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1511.

§. XXI.

*Bononia occupata; Bentivolii restituti.*

Solus in urbe remanserat Cardinalis Legatus, nomine Franciscus Alidosius, qui tum apud Pontificem plurimum gratia ac auctoritate valebat, hac tamen inquit Paulus Jovius, omnino indignus erat, sibi que ad tam amplos favores illicitis prorsus mediis viam paraverat. Nihilominus a Julio præter Papiensem Episcopatum, ac Cardinalitiam dignitatem, etiam Archiepiscopali Ecclesiæ Bononiensi præfectus est, & quamvis præsens rerum status uni Viro spirituales, simulque politicam jurisdictionem minime concedi exposceret, hunc tamen Cardinalem Diocesis suæ administratorem constituit, perinde ac si spatiosus totius orbis ambitus nullum ultra produxisset homi-

*Guic. lib 9.  
Marian. l. 30  
n. 11.  
Paul. Jov.  
in elog. t. 4.  
Raynald hoc  
ann. n. 59.  
Ciacon. in  
Jul. II. t. 3.  
p. 229.*

Sæcul. XVI. hominem, cujus curæ præcipuam partæ  
A.C. 1511. victoriæ partem credere potuisset; ita  
 nempe non raro prudentissimi quique  
 in discernendis hominum meritis debita  
 sagacitate destituuntur, ac Principum fa-  
 voribus munia quidem comparantur ab  
 iis, quos tamen dotes ad ea munia rite  
 obeunda necessariæ nequiquam commen-  
 dant. Coeterum vix Pontifex die deci-  
 ma quarta Maji Bononia discesserat,  
 mox Cardinalis consilii, mentisque in-  
 ops hæsit.

## §. XXII.

*Papiensis Cardinalis Legatus relicta  
 Bononia Ravennam profugus.*

*Ciacon. l. c.  
 p. 230.  
 Rayn. l. c.*

Hic idem Cardinalis, cum ad augenda  
 urbis præsidia mille armatos intro-  
 ducere pararet, a populo occlusis portis  
 arcebatur: id vero apertum seditionis si-  
 gnum erat, hinc Cardinalis de salute sua  
 desperans, inaudito ignaviæ probro tam  
 Archiepiscopalem Sedem, quam urbis  
 regimen deseruit, primo Forum Corneli,  
 demum sub centum armatorum præsi-  
 dio Ravennam contendit; præsidarii  
 quoque milites, ut ad sua reverti possent,  
 per urbis mænia profiliebant, ac nonnisi  
 eorum paucis, quibus animus ad quos-  
 vis casus ferendos constantior erat, sese  
 in arce includebant.

## §. XXIII.

## §. XXIII.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1511.*Papæ statua a Bononiensibus  
diffracta.*

Vix Cardinalis Bononia discesserat, cum Ciacon. in Jul. II. t. 3. p. 229.  
 illico Senatores Bentivolorum par-  
 tibus palam adhærerent, eosque velut  
 supremos suos Principes in urbem reci-  
 perent; Venetorum quoque exercitus  
 comperta hac rerum vicissitudine, per  
 montium fauces sese recepit, ubi tamen  
 potissimi aut trucidati, aut a rusticis ex-  
 spoliati sunt. Tota Bononia Bentivoliis  
 parebat, sola arce excepta, quam tamen  
 Joannes Vitellius, cui Papiensis Cardina-  
 lis curam demandaverat, hostibus tradi-  
 dit, cumque eam Vitfrustus Maximilia-  
 ni Deputatus suæ potestati restitui pe-  
 tiisset, cives illam solo æquarunt, ad id  
 adacti, eoquod Galliarum Regem arci  
 copias impositurum vererentur. Post  
 hæc populus suum in Papam odium  
 exerrere non dubitans, ejus statuam, cu-  
 jus artifex nominatissimus erat Michael  
 Angelus, in terram projecit, atque in  
 frustra comminuit. Statua hæc Julium  
 Pontificem exhibebat inter militum tur-  
 mas stantem, ac dexteram ad coelum  
 elevantem, perinde acsi exercitui suo be-  
 ne precaretur. Eandem Julius erigi  
 jusserat, dum Bentivoliis urbe expul-  
 sis,

Sæcul. XVI. A.C. 1511. sis, (\*) Bononiensis urbis possessionem accepit: postea vero illa Bononiensi populo offensionis argumentum evasit; cum enim cives inter se sæpius miffarent, an formidabilis hæc statua manum elevatam exhibens Papam vel populo benedicentem vel maledicentem indicaret; hinc Pontifex quondam Bononiensium quæstionem edoctus, respondit: „utrumque significat, prout cives vel præmio vel pœna se dignos redderent.“ Porro suscitato hoc tumultu Bononienses horum verborum memores, indignationem, rabiemque suam vehementius exonerabant, adeo, ut seditiosorum ope Trivultio jam integrum esset, arma sua ad ampliores victoriarum cursus protendere; quippe Romandiolæ urbes eidem auxiliares manus præbebant, & Forocornelienses, necnon Foro-Livienes civitatum suarum claves porrigebant; cum vero Trivultius ex lege Turonensis conventus non nisi Bentivoliis rursus Bononiam asserere a Rege juberetur, Ecclesiæ statum infestis armis invadere non audebat, ejusque agendi rationem Regi fuisse probatam, nova, quæ paulo post a Franciæ Aula accepit, mandata indicabant.

§. XXIV.

---

(\*) Ope Gallorum addunt Ciaconius, aliique Scriptores.

## §. XXIV.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1511.

*Plures urbes a Ferrariensi captæ; ejusdem Ducis vindicta in Carpiensem Comitem.*

Inter hæc Ferrariensis Dux terrorem ac confusionem hostilis exercitus in rem suam vertebat, eademque temporis opportunitate Certum, Plebisacum, Cotignolam, Lugonem, aliasque nonnullas urbes occupabat, quibus captis Metropolin suam ab hostium metu liberavit: Præcipue vero de Alberto Pio Carpiensi Principe, quod de ipso sinistram summo Pontifici opinionem ingessisset, ultionem sumpturus, potissimam Carpiensis Principatus partem sibi vendicabat.

## §. XXV.

*Urbinitis Dux a Papiensi Cardinale de amissa Bononia postulat.*

Ceterum Julius Papa exauctorationis *Marian. l. 9.* suæ injuriam adeo prope instare *ve-<sup>n</sup> 111* rebatur, ut summum Pontificatum *Raynald. hoc* diutius tueri vix non desperaret. *Ali-ann. n. 60.* quamdiu tamen Ravennæ commoratus, a Cardinale Papiensi invisitur, ille vero, cum Bononia per ejus ignaviam imo & proditionem capta diceretur, sinistram hanc



Sæcul. XVI. hanc de se suspicionem amoliri conatus,  
 A.C. 1511. impacti criminis causam in Urbinatis  
 Ducem rejecit: Unde haud dubitabat  
*Rub. hist.* Nepotem apud Patrum perfidiæ insimu-  
*Raven. lib. 8.* lare, eidemque objicere, quod clandesti-  
 ne cum Ferrariensi Duce conspirasset,  
 eidemque summi Pontificis consilia, at-  
 que jussa prodidisset, eo quod Ducis Ne-  
 ptem Eleonoram, quæ Isabellæ Sororis  
 suæ Filia, ac Francisci Mantuani Mar-  
 chionis conjux erat, sibi tori sociam e-  
 legisset.

## §. XXVI.

*Cardinalis a Duce in publica platea  
 trucidatus.*

Urbinatis Dux hoc probro concitatus,  
 ultionem decrevit: nec prompta de-  
 fuit illi occasio; quippe, cum Cardina-  
 lis quadam die ad Palatium suum fre-  
 quenti comitatu, magnoque famulorum,  
 suorumque clientum numero stipatus re-  
 daret, Dux amicis, suisque militibus cin-  
 ctus, in media platea Cardinalem ad-  
 oritur, in eum irruit, manuque propria  
 multis vulneribus confossum occidit.  
 Hujus facinoris indignitas tam impoten-  
 ti dolore oppressit Pontificis animum, ut  
 lacrimis, atque ejulatibus haud impera-  
 re posset; cumque præceps ac temera-  
 rium esse soleat judicium plebis, quæ  
 plerum-

plerumque maligna facilitate ad mali sus-  
 picionem etiam ex levissima alicujus  
 veritatis specie propendet: hinc non  
 deerant nonnulli, qui patrati sceleris in-  
 vidiam Pontifici per summam iniquita-  
 tem creare, necemque ejus jussu illatam  
 suspicari non horrerent, imo convitia  
 bantur alii, Ducem ex condicto, ac Pon-  
 tificis consilio fuga elapsam fuisse: qui-  
 dam tamen Scriptores Julii innocentiam  
 gravissimis rationum momentis vindicare  
 merito aggressi sunt.

Sæcul. XVI.

A. C. 1511.

*In opere, cui**titulus Po-**litica Impe-**rialia apud**Goldast.**p. 1053.**Hist. fœd.**Camer. t. I.**p. 440.**Rayn. l. c.**Ciaccon p. 258*

## §. XXVII.

*Robertus Cardinalis a Papa ad Tri-*  
*vultium pro concilianda pace*  
*missus.*

Permolesta erat summo Pontifici diutur-  
 nior mora in Ravennatensi urbe, quæ  
 per Papiensis Cardinalis necem funesta-  
 ta erat; unde Romam versus iter ag-  
 gressus est: ast ad doloris cumulum ac-  
 cessit, quod Ariminum transiens, concilii

*Gnicc. lib. 9.**§ 10.**Auberi hist.**Card.**Argentre**hist. Britan.**l. 30.*

Generalis mense Septembri Pisis cele-  
 brandi edicta conspiceret, quæ Galli, ut  
 Papæ terrorem incuterent, affigi jusse-  
 rant. Nihilominus Pontifex adhuc in iti-  
 nere constitutus, ut Trivultium vana con-  
 cordiæ spe detineret, Nannetensem Car-  
 dinalem, qui de pace ageret, ad eum  
 ablegat. Hic erat Robertus de Guibe

*Hist. Eccles. Tom. XXXII, P apud*

**Sæcul. XVI.** apud Rhedones in Britannia Episcopus,  
**A. C. 1511.** cujus Mater fratrem habebat nomina-  
 tiffimum illum Landasium Britanniae Du-  
 cis clientem; ipse vero, quamvis natio-  
 ne Gallus, nihilominus apud summum  
 Pontificem plurimum gratia valebat, a  
 quo Anno Domini millesimo quingente-  
 simo quinto Cardinalium numero ad-  
 scriptus est, ejusque animum Papa adeo  
 dextere in partes suas pertraxit, ut con-  
 tra ipsum Regem Pontificis partes tuen-  
 das susciperet; quapropter etiam bene-  
 ficiorum, quæ in Galliis possidebat, redi-  
 tibus spoliabatur: Hunc ergo Cardina-  
 lem Trivultius benevole excepit, eique  
 hunc in modum respondit: Rex Julio Pon-  
 tifici quasdam proposuit conditiones,  
 quæ tamen ab eo fuerunt rejectæ, nunc  
 alias offerre Regiam suam dignitatem  
 haud decet: igitur Pontificis erit, aut  
 priores acceptare, aut novas proponere  
 hancque in rem temporis induciæ in-  
 dulgebuntur, memori tamen mente reco-  
 lendum venit, nunc mutatam esse rerum  
 faciem. Ast de hac concordia haud am-  
 plius actum fuit; gravius enim nego-  
 tium vehementer occupabat Pontificis  
 animum: id autem erat convocatio Pi-  
 sani Concilii, cui ut adesset, seque siste-  
 ret, Galli Papam vocabant.

## §. XXVIII.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1511.*Concilium adversus Julium Pisum  
convocatum.*

Non nisi post crebras disceptationes urbs *Raynald.*  
Pisana seligebatur; Maximilianus *hoc ann. n. 5.*  
enim in quadam Imperii sui urbe, vel *§ 7.*  
Constantiæ, vel alibi Synodum celebrari  
peroptabat; Itali vero fidei a Cæsare da-  
tæ, quam toties in aliis occasionibus fe-  
sellisset, (\*) diffisi, patria sua excedere  
renuebant. Ludovicus quoque Gallia-  
rum Rex Lugdunum offerebat, cum  
vero hæc urbs Cardinalium voto minus  
arrideret, Pisana civitas seligitur, cum  
hæc nec Cæsari, qui supremus illius Prin-  
ceps erat, nec Galliarum Regi, qui Flo-  
rentinis amicitia jungebatur, nec ipsi e-  
tiam Pontifici suspecta erat, cum ipse  
eandem præter status Ecclesiastici urbes,  
ceteris totius Italiæ civitatibus longe ma-  
gis commodam censere cogeretur; Insu-  
per consuetis militum præsidiis Concilii  
securitati jam satis cautum erat, vilique  
pretio commeatus emebatur, ipsa terri-  
torii

(\*) Nunquam Maximilianus datam fidem  
violavit, nisi quando ab aliis nequiter seductus,  
rem pollicitus esset, cujus promisso stare, cogni-  
to errore Religio prohibebat.

**Sæcul. XVI** torii fertilitate abundantiam suppeditan-  
**A.C. 1511.** te; accesserat enim maris opportunitas,  
 cum enim pelagus urbi vicinum esset, ex-  
 citato forte tumultu, promptum, tutum-  
 que discessum offerebat. Ægerrime qui-  
 dem Florentini hanc urbem concesserant, nec unquam assensu suo suffragati sunt, nisi data prius fide, quod nulla iis, qui Synodo interessent, vis inferretur.

*Marian. l. 30*

*n. 12.*

*Spond.*

*ad ann. 1511.*

*n. 9.*

*Raynald. l. c.*

*n. 2.*

Electioe loci facta, Galli omnes in id curas intendebant, ut Synodus convocaretur, ne vero ad agendum hunc conventum Papæ consensus deesset, eum adire decernebant. Hoc obsequii genus præprimis Maximilianus, ac Franciæ Rex Pontifici deferebant, eidem hæc significantes: postquam Cardinales ad vestræ Sanctitatis electionem convenerant, totus Purpuratorum Senatus solemnî Sacramento sese obstrinxit, ut is, quemcumque inter eos ad summi Pontificatus honores assumi contingeret, evolutò biennio ab electionis suæ tempore Synodum generalem convocaret, velut unicum Ecclesiæ calamitatibus obviandi remedium; Vestra quoque Sanctitas cum ceteris idem juramentum præstitit, hucusque tamen necdum exsolvit: unde rogamus, ut mala inde aucta necnon officii sui rationem perpendat, vi cuius ea mala tandem tollere adstringitur: communis enim es Reipublicæ Christianæ Pater, proin fidelium mise-

miseriis vehementiori ac ceteri, commi-  
 ferationis sensu tangi debes, præsertim  
 cum tuam opem implorent. Ast Julius  
 hos sermones ægre ferens, nullum non  
 movit lapidem, ut horum consilia sibi  
 summe exitiosa everteret. Cum igitur  
 Cæsar, Rexque Pontificem flecti nescium  
 experirentur, suos Legatos ad S. Crucis,  
 Narbonensem, & Cosentinum Cardina-  
 les, Mediolanum mittere statuunt, qui  
 eos rogarent, ut ipsimet Synodum con-  
 vocarent. Legati ergo die decima sexta  
 Maji præfatis Cardinalibus demandatum  
 exponunt negotium, quod illi lubenti qui-  
 dem animo acceptant, trinam tamen  
 conditionem sibi promitti postulant. I. Cæ-  
 sar, atque Galliarum Rex tam Synodum  
 quam eidem interfuturos potenti suo  
 præsidio tueantur. II. Neuter eorum  
 Concilii dissolutioni aut translationi con-  
 sentiat, absque potioris congregatorum  
 partis assensu. III. Observetur nor-  
 ma in Constantiensi Concilio præscripta,  
 qua plenæ libertati ac securitati cautum  
 sit.

## §. XXIX.

*Concilium Pisanum Cardinalium au-  
 ditoritate convocatum.*

**H**is conditionibus per Legatos suorum  
 Principum nomine acceptatis, tres

P 3

præ-

Secul. XVI.  
A. C. 1511.

Sæcul. XVI. præfati Cardinales cum sex aliis, (\*)

A. C. 1511. Concilium generale die prima Septembris Pisis celebrandum indixerunt, literasque convocationis affixerunt, quæ duo

*Raynald. ad*

*ann. 1511.*

*n. 7.*

*Paris. de*  
*Grass. t. 3.*

*p. 680.*

*Ciacon. in*  
*Jul. II. t. 3.*

*p. 228.*

instrumenta complectebantur, quorum unum Cæsaris, Regisque Christianissimi nomine, alterum auctoritate Cardinalium Mediolani promulgatum fuit, utrumque tamen in eandem ferme sententiam conceptum videtur, ibique exponitur, eos, qui hanc Synodum convocassent, unice intentos esse, ut Ecclesiam in suo capite membrisque emendarent, manifesta crimina, obstinatos, atque correctionis impatientes castigarent, qui universali Ecclesiæ dudum gravissime offensionis fuissent: præterea dicebant, ex ipsa dignitate, qua in Ecclesia fulgerent, ipsis ad convocandum Concilium sat auctoritatis suppeditari; præsertim cum aliunde Synodi celebrandæ necessitas urgeret, eam vero a Papa indici, haud ultra sperari posset; *Synodum Constantiensem, addunt, de ejusmodi necessitate persuasam fuisse,*

(\*) *Ex his Cardinalibus alios, nomina sua se insciis, atque inconsultis fuisse apposita conquestos esse, potissimam vero illarum partem publicis tabulis hos tres Cardinales falsitatis arguisse, testatur Paris de Grassis tom. 3. p. 680. Et Raynaldus num. 7. vid. §. 31. hujus libri.*

fuisse, indeque decreto sanxisse, singulis de Sæcul. XVI.  
 cenniis Concilium celebrandum esse, hunc ter- A. C. 1511.  
 minum expirasse, Julium tamen non modo  
 nullum convocasse, sed semper Synodum in-  
 dici petentium vota elusisse. Denique in  
 hisce literis ipsum Pontificem Pisano Con-  
 cilio vehementibus quidem, sed impu-  
 dentissimis verbis adesse jusserunt.

§. XXX.

*Papa convocationis nuncio tur-  
 batus.*

Julius horum audacia adeo terrebatur,  
 ut dimisso belli consilio protinus Ro-  
 mam reverti decerneret, ut dexteritate  
 sua ac prudentia, si fieri posset, impen-  
 dentem malorum procellam averteret:  
 ast ardua omnino res erat, qua implica-  
 batur, indeque, ut eluctaretur, nil reli-  
 quum habebat, quam ut Cardinalium,  
 quos velut schismaticos detestabatur, con-  
 silia everteret, ac temerarios eorum in-  
 sultus reprimeret.

§. XXXI.

*Alia Synodus a Papa Romæ  
 convocata.*

Tandem pluribus mediis nequicquam Bullar. t. 1:  
 adhibitis, Papa Maximilianum segnius Jul. 11.  
 Synodi celebrationem urgere, ac de ipsius Const. 17.



Sæcul. XV.  
A.C. 1511

*Conc. Labbe  
collect. t. 13.  
sub fin. &  
t. 14.  
Ciacon. in  
Jul. II.  
p. 228.*

loci selectu adhucdum suspensum hæere edocebatur; proin ex sententia Cardinalis de Monte Synodum Oecumenicam huic conventui opponere statuit, hancque in rem die decima octava Julii Constitutionem edidit ad omnes Christianos Principes directam, in qua Generale Concilium Romæ in Ecclesia S. Joannis in Laterano celebrandum indixit, cunctisque Orbis Christiani Episcopis, ut quantoctius adessent, præcepit, indicta poena exauctorationis ab eorum dignitatibus, atque privationis a beneficiis: Solemni autem hujus Synodi initio præfixit diem undevicesimam Aprilis anni sequentis millesimi quingentesimi duodecimi.

In hac Constitutione Papa totam suscitati tumultus seriem prosequitur, innocentiam suam vindicat, & hostium suorum temeritatem acrius exprobrat; *Quidam Cardinales, inquit Pontifex, qui, dum pro recuperandis nonnullis Romanæ Ecclesiæ terris Bononiam accederemus, nobiscum venire simulaverant, & nostra licentia ab urbe recedentes Florentiam diverterunt, & licet se venturos obtulissent, eosque ad nos Bononiam vocari fecissemus, nihilominus tanquam membra insana sine legitima causa a suo Capite recedentes, armis, satellitibusque stipati, & pro Sacerdotalibus vestibus thoracem induti, & gladiis armati Papiam se contulerunt.* Quo cum per-

peruenissent, stimulo conscientiae agitati re-  
ditum ad nos postularunt, & pro desertio-  
nis venia supplicarunt, quam benigne obtu-  
limus. Sed ipsi ausi sunt Pontificalem au-  
thoritatem sibi ipsis adscribere, sine Romani  
Pontificis auctoritate universale Concilium  
convocare, locum Concilii & tempus indice-  
re, & valvis Ecclesiarum, aliisque publi-  
cis locis per publica instrumenta, etiam fal-  
sa indictionem hujusmodi publicare, eisdem-  
que instrumentis falsis publice atque impu-  
denter uti quosdam S. R. E. Cardinales sui  
propositi socios declarando, qui tamen pu-  
blicis & privatis scripturis eorum propriis  
manibus scriptis, se illis in hujusmodi propo-  
sito, neque verbo, neque scripto nunquam  
junxisse, seu quomodolibet consensisse pro-  
testati sunt.

§. XXXII.

*Vindicæ Pontificis in hac Consti-  
tutione.*

**I**dem vero Cardinales Summo Pontifici  
objecerunt, afferentes, decennium post  
ultimum universale Concilium etiam contra  
Constitutionem Concilii Constantiensis jam  
dudum effluxisse, maxime cum Papa jurasset,  
& vovisset, illud post biennium ab electio-  
ne sua tenere, tempusque interpellare,  
& cum de gravibus criminibus notoriis du-  
rantibus universalem Ecclesiam scandalizan-

*Raynald. l. c.  
n. 9.  
A. C. Concil.  
Later.  
Bull. Const.  
27.*

Sæcul. XVI. A.C. 1511. *tibus in capite agendum foret, ad summum Pontificem Concilii congregationem non attingere, sed secundo loco ad Cardinales, qui Pontifici in negligentia non adhæserunt, conuocationem Concilii spectare.*

Ad diluendam hanc calumniam Julius respondit: *Hæc omnia ut falsa, ficta, commentitiaque sunt, & non ex zelo charitatis & religionis, sed odii fomite, & inimicitie procedentia, ita omnibus cupimus notum fieri, quod nihil nobis per ultimos undecim annos, quibus Cardinalatus officio functi sumus, magis cordi fuerit, quam celebrari videre generale Concilium, & Romanæ Ecclesiæ statum in melius reformari. Quid enim Alexandro VI. magis nos odiosos fecit, nisi studium generalis Concilii celebrandi? examinent quoque hi Cardinales, & inspiciant omne studium in Pontificatu nostro circa præmissa: nonne omnes Principes Christianos admonuimus de celebrando generali Concilio, deque expeditione in Turcas conciliariter decernenda? Nonne primo Pontificatus nostri biennio Christianos potentatus pacare studuimus, ut conciliatis animis Concilium iniretur. Nulla ergo nostra culpa dilata est Generalis Concilii indictio, ac celebratio. Distulit hæc infelicitas temporum, & instans necessitas recuperandi terras, & jura Romanæ Ecclesiæ.*

Demum prosequitur Pontifex, *si tam ardenter tribus hisce Cardinalibus cordi est,*

se caput generalis Concilii constituere, prius Sæcul. XVI.  
A. C. 1511.  
discant, & revolvant Sanctorum Patrum, & Romanorum vitas Pontificum, & antiquum morem indicendi & convocandi Concilium, traditiones & leges super his editas inspiciant, videbunt hujusmodi Concilia a solis Romanis Pontificibus esse indicta, & aliter indicta, rata non fuisse. Quod vero attinet ad Constitutionem Concilii Constantiensis: ea ad octoginta annos servata non fuit, & si servata fuisset, ex causis prædictis eam licuit nobis transgredi; votum autem & juramentum, quod ex prædictis causis de jure nobis transgredi licuisset, transgressi non sumus, quandoquidem legitimo impedimento detenti non potuimus observare. Quod autem consingant in nos crimina, non miramur, quoniam, teste Hieronymo, schismatici, cum dubitant causas suas damnari, in contumelias prosiliunt. Legant gesta Concilii Constantiensis, reperient Joannem Papam XXIII, de cujus causa agebatur, Concilium hujusmodi indicisse, proin ad summum Pontificem spectet, & pertineat congregare Concilium, etiamsi de sua causa agatur. Sed si hæc omnia cessarent, qua ratione ad paucissimos Romano Pontifici eorum ambitione infensos, ac schismaticos poterit potestas universalis Ecclesiæ devolvi, imo potius ab eis usurpari? Adjiciamus ergo nunc hujusmodi potestatis abusum ostendere. Trium mensium & quatuordecim

cims

Sæcul. XVI A.C. 1511. *cim dierum tempus in suo, ut volunt, editio seu convocatione assignant, num poterit tam brevi temporis spatio remotissimis Nationibus Christianis innotuisse &c. . . . Præterea loci ratio indictionem ipsam nullam reddit, quis enim ignorat, Pisas urbem ad eam desolationem bello redactam, ut rarissimæ domus integris parietibus in illa consistant, & ferme nullæ sint, quæ contignationibus, & solariis muniantur &c. . . . nec tutus est ad Pisas accessus, vel in ea mansio. &c.*

*Igitur ex præmissis, aliisque notissimis causis, & habita super his cum S. R. E. Cardinalibus matura deliberatione, de eorumdem consilio, & unanimi consensu, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine indictionem schismaticæ conventiculæ, & Ecclesiæ malignantium auctores, ac schismatum socios, & alias suprascriptas indictiones procuratorio nomine Maximiliani electi Romanorum Imperatoris, & Ludovici Francorum Regis Christianissimi publicatas, omniaque & singula in eis, & contenta, & inde secuta quæcunque reprobamus, revocamus, & annullamus, districtius sub anathematis, & maledictionis æternæ ac dignitatum & beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcunque secularium vel regularium privationum, omnibus cujuscunque dignitatis prohibemus, ne quovis pacto ad hujusmodi conciliabulum accedant, consilium, auxilium, vel favorem præstent.*

§. XXXIII.

## §. XXXIII.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1511.*Alia Bulla contra tres illos Cardinales  
præcipuos Pisani Concilii  
Auctores.*

Edita hac Constitutione, qua Concilium Romæ celebrandum indixit, Pontifex aliam Bullam promulgavit adversus Carvajalum Pisani Concilii auctorem, Cardinalem de Borgia, ambos natione Hispanos, necnon contra Cardinalem Brissonetum, suppressis ceterorum nominibus, utpote quorum auctoritatem minoris habebat. In hac Bulla nisi intra sexagesimum quintum diem se Romæ sisterent, eos dignitate Cardinalatus, cunctisque dignitatibus privatum iri comminabatur. Hac sententia, inquit Mariana, seditiosi isti Cardinales velut fulmine tacti hærebant; convocata enim Synodo Julius non modo perversa eorum consilia evertit, sed & speciosum adimebat prætextum, quo suam a summo capite defectionem honestare conabantur. Nihilominus Papa ceteroquin ad iram proclivis, cum Synodum Romæ celebrandam non nisi invitus convocasset, vix ultra intra moderationis limites sese continere poterat, hinc indignationem, doloremque suum quacunque data occasione effundebat: Ubique divulgabat, in proxima Synodo

*Gnacc. lib. 10  
Spond. hoc  
ann. num. 15.**Marian. lib.  
30. n. 17.  
Raynald. l. c.  
n. 24  
Ext. de eo  
literæ in ap-  
pend. act.  
Conc. Pisan.  
p. 160.*

**Sæcul. XVI.**  
**A.C. 1511.**

do de rebus maximi momenti agendum esse, matrimonium Annæ Reginae cum Rege Christianissimo nullum esse declarandum, Aquitannos & Normannos populos a fidei Sacramento Galliarum Regi præstito absolvendos, eoquod ille utramque hanc Provinciam a suis Prædecessoribus per nefas Anglis ereptam usurparet. Has tamen minas Pontifex nonnisi Gallis terrorem incutiendi animo intentabat; ita nempe

*Ira, quæ tegitur, nocet  
Professa perdunt Odia vindictæ locum.*

§. XXXIV.

*Epistola Pisanorum Cardinalium ad Romanos.*

*In act. Conc. Pis. sub Jul. II. ann. 1511. impress. Paris. in ann. 1512. p. 67. & seq. Raynald. ad ann. 1511. n. 20.*

Cardinales, quamvis ingenti terrore perculsi essent, in suo tamen proposito obfirmati, Pisano suo Concilio initium dare parabant; unde Procuratores, qui illud inchoarent, ablegant, atque ad Epistolam, quam Episcopus Alexandrinus nomine Cardinalium Romanorum ad eos die sexta Augusti perscripserat, respondent hunc in modum: *Quoniam desideramus reformationi & paci Ecclesiæ consulere, hinc ejus procurandæ causa ad tempus*

pus a Romana Curia secessimus, necnon com-  
 municato consilio cum aliis Cardinalibus, & Sæcul. XV.  
A.C. 1511.  
 Principibus respondebimus circa literas,  
 quas multimoda relatione audivimus contra  
 nos datas, cum humilitate tamen & veritate  
 a nobis prodibit responsum.

Inprimis ergo commendabitis nos Domi-  
 nationibus suis Reverendissimis, illis etiam  
 habebitis innumeras gratias pro officio cha-  
 ritatis suæ per Paternitatem vestram nobis  
 ostenso, & verbis significato, quamvis mul-  
 tum doleamus Cardinales Romanos præsti-  
 tisse assensum vel consilium in tam gravis-  
 simis monitionibus, & censuris contra nos  
 prolatis, signanter etiam vocando nos cum  
 censuris ad locum nobis notorie non tutum.  
 Vobis dicimus, nos hætenus mansisse &  
 manere, & si per errorem aliquorum non  
 fiat, semper manere velle, in obedientia  
 sanctissimi Domini nostri Papæ, & bona  
 fraternitate Cardinalium, de quo protesta-  
 mur, nisi quod juxta doctrinam Innocentii  
 IV. præceptiones Apostolicæ de notorio pe-  
 riculo salutis æternæ, vel corporalis vel  
 turbationis status universalis Ecclesiæ, &  
 unde multa mala ventura essent, audiri qui-  
 dem possunt, sicut a Domino dicta, sed non  
 impleri, vel admitti. Quinimo possunt, &  
 debent declinari, & ab illis provocari, qua-  
 lis nobis est hæc præceptio comparitionis  
 personalis in urbe, quæ notorie nobis in-  
 duceret vitæ periculum, & timorem justissi-  
 mum,



Sæcul. XVI  
A. C. 1511.

*mum, quibuscunque salvis conductibus associetur. Plures sane Cardinales, & etiam Sanctissimus Dominus Papa in minoribus multo tempore fuerunt absentes, forte minoribus de causis, quam nos.*

*Dein prosequuntur: Significabitis, quod nos pro maximis & necessariis causis securitatis vitæ & libertatis nostræ ac reformatione Ecclesiæ ex Florentia discessimus, non ut malum aliquod, sed grande bonum Ecclesiæ afferemus, quod per nostros Commissarios ex Florentia Sanctissimo Domino nostro, & vobis significavimus, qui Commissarii vel auditi non fuerunt, vel territi, re infecta sine responso recesserunt. Nos, inquiunt illi, pro certo tenemus, indictionem Concilii Pisani per nos & Principes factam ex præcepto universalis Ecclesiæ justissimam esse, & jurisdictionem convocandi Synodum fuisse hac vice juris ministerio devolutam ad indictores Pisani Concilii, quod Principes viribus omnibus prosequi intendebant, & nunc certe prosequentur. Nos tamen volumus illis conjungi, ne ecclesiasticæ Aristocratice jus periret; credebamus certe Sanctissimum Dominum nostrum, & Cardinales aliter ad admonitionem Principum sæcularium nobis responsuros. Ceterum in Pisano Concilio in rebus tangentibus sanctissimum Dominum nostrum, & Romanam curiam ad aliquod tempus temperabimus, dummodo ipse Dominus noster omnes has præceptiones personalis*

sonalis comparitionis, & nostræ cessationis a Sæcul. XVI.  
 Concilio auferat, vel suspendat usque ad tem- A.C. 1511.

pus, quo de loco tuto & neutrali Oecum-  
 nici Concilii cum ipso Sanctissimo Domino  
 nostro consulatur. Locus enim urbis Romæ  
 in hac rerum occurrentia liber & tutus  
 non est nobis signanter tam propter arces,  
 quam propter gentes & Capitaneos assuetos  
 libertatem Cardinalium facile violare; Pa-  
 tres enim in Concilio undequaque debent esse  
 liberi, ad hoc, quod Spiritu sancto regantur,  
 Apostolo referente, ubi Spiritus Domini,  
 ibi libertas. Credimus igitur Reverendis II. Cor. 3.  
 simos Dominos Cardinales bona mente ince- v. 17.

ndentes profus in hoc nobiscum conventuros,  
 nec petituros a nobis, aut assensuros peti,  
 quæ sine periculo interitus utriusque vitæ  
 præstare non possumus, & jam necesse erit  
 ex utraque indictione Concilii vel utrumque  
 teneri, quod hæresim saperet, cum Ecclesia  
 universalis sit una, vel alterum concordari:  
 cum enim a tot annis nulla fuerint Concilia  
 generalia, & si quandoque aliqua congrega-  
 ta fuerunt, quæ a centum annis quasi fue-  
 runt quinque, videlicet Pisanum, Constan-  
 tiense, Senense, Basileense, & Florentinum,  
 ex multis tamen impedimentis, & cavillationi-  
 bus Ecclesia cum effectu reformata non fuit,  
 & omni die ager Dominicus tribulis obsitus  
 in immensum excrevit, adeo ut oporteat il-  
 lum necessario per Concilium purgari. Dar-  
 ta est hæc trium Mediolanensium Cardi-

*Hist. Ecclesiast. Tom. XXXII. Q na-*

Sæcul. XVI. naliū epistola Mediolani in castro S. Don-  
A. C. 1511. nini die quarta Septembris Anno Do-  
 mini millesimo quingentesimo undeci-  
 mo. (\*)

## §. XXXV.

*Apologia Pisani Concilii ab ejusdem  
 Patribus publicata.*

Eodem Mense Septembri Patres pro Con-  
 cilio suo apologiam divulgant, quæ  
 in eodem Burgo prope Parmam die vige-  
 sima septima ejusdem Mensis Cardina-  
 lium, Prælatorum, aliorumque hujus Sy-  
 nodi membrorum nomine concinnata  
 fuit. Querebantur illi passim verbis ni-  
 mium vehementibus contra summum  
 Pontificem, ac præprimis exponunt, ni-  
 hil magis proprium esse Ecclesiæ, quæ  
 Christi Sponsa est, quam humilitatem,  
 constantiam, & veritatem, se hanc apo-  
 logiam eo duntaxat consilio concinnasse,  
 ut ad duplicem Pontificis epistolam a-  
 speris, & amaris verbis plenam respon-  
 derent; postea humiliter ac modeste Pa-  
 tres se opponebant illis, qui Julio Papæ  
 au.

*In act. Pis.  
 Conc. II.  
 p. 5. & seq.*

(\*) Edmundus Richerius, qui hæc acta reci-  
 tat, hanc epistolam undecima Septembris da-  
 tam testatur.

auctores extiterunt, ut Lateranense Concilium indiceret, & Pisanos Præsules censuris perfringeret, demum vero quatuordecim crimina ipsis objecta diluere, omnesque rationes, quibus Papa suam agendi rationem vindicabat, dissolvere nituntur, significantes, quod nunquam supremi Papatus aucupandi cupiditate stimulati fuerint, sed unice regimen Aristocraticum a Christo Domino D. Petro concessum restaurare velint: allegant quoque rationes, quibus permoti a Romana Curia recessissent, eo quod, inquebant, ibi nec libertati, nec vitæ nostræ securitati satis cautum fuisset, adduntque quod mandata Sedis Apostolicæ, quando ex iis evidens periculum imminet, audiri quidem, sed non impleri possint. Fatentur se quidem armatorum præsidio stipatos auffugisse, id tamen fuisse factum caussantur, ut a discrimine atque Concordiensis Episcopi insidiis tuti essent, cum alias illius fraudes ac dolos haud effugere potuissent, nisi alienis vestibibus induti incessissent. Tandem ad amborum Cardinalium, qui se Pisani Concilii convocationi consentisse inficiabantur, rationibus respondent.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1511.

§. XXXVI.

*Convocati Concilii obtentus.*

Præterea ostendunt, equidem ex sacrorum Canonum præscripto, ac ex lege ordinaria Synodos a Pontifice esse convocandas, non tamen deesse casus, in quibus etiam absque illius auctoritate Concilium indici, ac congregari valeat. Postea Pisanæ suæ Synodi convocationem quatuor ex causis honestare nituntur, nimirum primo ob Ecclesiæ præceptum II. propter Pontificis votum, III. ob Cardinalium juramentum, IV. propter maximum scandalum evitandi necessitatem Concilium ab ipsis fuisse convocatum asserebant: Porro Ecclesiæ præceptum derivabant ex Sessione trigesima nona Concilii Constantiensis, atque rationibus eidem objectis, necnon iis, quæ Julii fautores ad excusandum hoc juramentum protulerant, respondent; demum Pontifici exprobrant, quod Romæ suum Concilium indixisset, militum turmis cinctus (\*), non tam tuendæ libertatis, & Ecclesiæ reformandæ studio, quam auctoritatem suam firmandi cupidine, cum econtra ipsi Pisanam Synodum convocassent adhucdum Romæ agentes; Cæsaribus enim

(\*) Vide §. LII.

enim edictum jam decima sexta Januarii, Gallorum Regis autem decima quinta Februarii die datum agebant, hanc tamen convocationem promulgare minime se ausos declarabant, eo quod metuerent Pontificis indignationem ipsis satis probatam, atque cognitam.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1511.

Demum quæstionem discutiunt, utrum Papa in propria causa Concilium convocare valeat, & an Joannes XXIII. contra se ipsum Constantiensem Synodum indixisset; cum vero Julius eisdem angustum temporis spatium objecisset, Patres respondent, atque demonstrant, adhuc arctiorem fuisse terminum, infra quem primitivæ Ecclesiæ adesse jubebantur; urbem quoque Pisanam maxime congruam, ac congregandis Patribus peropportunam dicunt, unde in memoriam revocant primum Concilium in hac urbe anno millesimo quadringentesimo octavo ad extirpationem schismatis celebratum, nec non confluentium Prælatorum frequentiam; Romam vero, ex quo arcibus, munimentis, præfidiisque per Romanos Pontifices firmata esset, celebrandis Conciliis haud amplius aptam assererebant, cum Spiritus sanctus non nisi animabus liberis afflaret, eo quod ibi libertas sit, ubi Spiritus Domini, proin cum Julius Romæ exercitu stipatus resideret, hæc urbs haud

Q 3

tutum

Sæcul. XVI.  
A.C. 1511.

tutum foret receptaculum illis, qui de necessitate, qua Ecclesiæ decor stabili emendatione restitui deberet, agere desiderant. Denique hanc apologiam absolvunt eludendo censuras, quas Papa contra Patres pronunciaverat, simulque demonstrant, quod ad revocandum primævum Ecclesiæ nitorem, ac veterem disciplinam Ecclesiasticam solide reddendam omnino liberi Concilii celebratio necessaria sit (\*).

## §. XXXVII.

(\*) *Habetur etiam in actis Conciliabuli Pisani pag. 71. Et seq. Concilii Pisani apologia a Philippo Decio, celebri Jurisconsulto Mediolanensi consarcinata, quæ tamen vix non iisdem principiis innititur. Ita nempe, exclamat Spondanus, nulla fuit unquam tam injusta causa, quæ non etiam egregios defensores nacta fuit. Hanc vero Decii apologiam Angelus Anachorita Vallis Umbrosæ, solidius vero Thomas de Vio Cajetanus Ord. FF. Prædicatorum, Franciscus Poggius, alique pietate ac scientia Viri clarissimi confutarunt. Quapropter haud satis mirari possumus, qua ratione Continuator hoc conciliabulum contra ferme omnium Scriptorum, ac nationis quoque Gallicæ Doctorum sententiam appellare audeat Synodum Oecumenicam, illiusque membra honorifico Patrum nomine dignari præsumat. Integrum omnino librum conscribere deberem, si omnium Auctorum dicta, ac censuras, quibus hunc*

con-

§. XXXVII.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1511.

*Instrumentum appellationis contra citationem Pontificis a Pisanis Cardinalibus subscriptum.*

Postquam Cardinales cuncta, quæ Papa adversus Pisanæ Synodi convocationem decrevisset, nulla declarassent, duos Viros nominant in actis Concilii recensentium

*Goldast. de Monarchia I. 2.*

Q 4

conventum malignantium perstringunt, colligere vellem, sufficiat cum Natali Alexandro in sua Histor. Eccles. Sæcul. XV. Dissert. XI. Articulo IV. asserere, Pisanum hunc Conventum nec Generalis nec legitimi Concilii nomen & auctoritatem obtinere posse I. ex tumultuaria convocatione ejus abs necessitate, invito Papa non nisi a pauciori Cardinalium Pontifici infensorum numero facta. II. Ex eo quod Julius negligentiae & contumaciae in convocanda Synodo, quam ob temporum tumultus non poterat, argui non potuerit Concilii celebrationem differendo. III. Quia Ecclesiam universalem non representabat, utpote ex solis duobus Archiepiscopis & quatuordecim Episcopis unius duntaxat Nationis constans. IV. Ecclesiae necessitati, si quæ fuit, Papa sufficienter providit per Lateranense Concilium generale, ac legitima auctoritate indictum. Ipsimet Cardinales hujus Conciliabuli auctores hunc conventum solemniter detestati sunt velut spurium Concilium



Sæcul. XVI. censitos, scilicet Joannem Baptistam de  
A.C. 1511. Theodoricis seu Theodorum Doctorem,  
 & Franciscum de Ferio, quibus datum  
 est negotium, ut Cardinalium nomine  
 con-

cilium, i sique Lateranensi Concilio adhaerunt.  
 VI. Denique omnes Principes Christiani, Regna  
 Catholica, & Ecclesiarum particulares, atque ipsi-  
 met Reges, qui huic conventui adhaerunt, il-  
 lum quasi conciliabulum ejurarunt. Nam Maxi-  
 milianus Imperator *revocabat quodcumque man-  
 datum a se qualitercumque concessum Pisano conciliabulo, & omnia abta & agenda per illud Conciliabulum irrita & nulla, declarabat.* Ferdinandus Arragoniae & Siciliae Rex & Joanna Castellae Regina praeeperunt, *ne Pisanum Conciliabulum longius procederet, sed tanquam per injuriam, perperam & inique congregatum dissolveretur, & perniciosissimum schisma tolleretur.* Ipse Ludovicus XII. Galliarum Rex conventum hunc non nisi *praetensum Concilium* appellabat, eidemque adhaerentes *pro Schismaticis* haberi voluit, ac demum, quo loco ipsemet Rex hunc caetum habuerit, Anglerius Epist. 465. 477. 484. satis aperte indicat, scribens: *Cum Cabanilla Ferdinandi Regis in Francia Orator apud Ludovicum Galliarum Regem conquereretur, quod conciliabulariis faveret adversum Romanum Pontificem, Regem subridendo respondisse, larvam esse, ac jocosam declamationem, figmentumque inane illorum consilia, occasionemque sumptam ab eis, ut*  
 Papam

cificerent instrumentum, in quo suam a citatione Pontificia, ac facta celebrandi Concilii inhibitione appellationem exprimerent, necnon securam in loco tuto, ac neutrius partis studiis addicto conveniendi facultatem assererent. Horum Deputatorum primus in Synodi actis Civis Romanus, artisque Medicæ Doctor, alter vero Placentinus Clericus fuisse dicitur; ambo autem Romam delati, nomine Mediolanensium Cardinalium, qui Pisanam Synodum indixerunt, Papam, ac Purpuratorum Senatum accedunt, & pacem, plenamque submissionem ac obedientiam pollicentur, demum vero legationis suæ seriem exponunt, dicentes: cum Synodus Romam convocari omnino non posset, eoquod accedentium securitati ibidem caveri nequiret, hinc necessitatis vi ab ipsis factum, ut pro restauranda Ecclesiæ disciplina Concilium liberum cogere. Attamen rejectis horum postu-

Q 5

stu-

*Papam deterrent, hanc farfam, hoc est, mimicum ludum. Se tantum ista fovere, ut Pontificis animum aversum attraheret. His subjungit Spondanus ad annum 1511. num. XVIII. Attamen qui sic loquebatur, & rem mimicam esse, ut vere erat, fatebatur, nihilominus eam aliquamdiu ita persecutus est, ut ex animo eidem adhæ-  
vere videri voluerit, magno Ecclesiæ scandalo, & summo tituli Christianissimi dedecore.*

Sæcul. XVI.  
A.C. 1511.

At Pis. Con.  
pag 74.

Sæcul. XVI. A. C. 1511. stulatis responsum est, nonnisi octo die-  
rum inducias, quibus evolutis compare-  
re tenerentur, Cardinalibus indulgeri:  
denuo vero illis interdicti, ne Synodum  
convocent. Cardinales Pontifici refragantes,  
Deo potius quam hominibus obtemperandum rati,  
Pisano itineri sese accingunt, prius vero apologiam,  
cujus mox meminimus, ubique divulgant.

## §. XXXVIII.

*Secundi Pisani Concilii initium.*

*Act. Con.  
Pis. p. 79.  
& seq.  
Paris de  
Grass. t. 3.  
p. 724.*

Quamvis Synodi indictio ad primam  
Septembris diem decreta fuisset, ni-  
hilominus nonnisi die Sabbati prima No-  
vembris hujus anni Sessionibus datum est  
initium. Advenerant Pisas die trigesima  
Octobris quatuor Cardinales, nimirum  
Bernardinus Carvajalus Sabinensis Epi-  
scopus, tit. S. Crucis, & Patriarcha Hierosolymitanus;  
Guilielmus Briffonetus, Prænestinus Episcopus,  
& Narbonensis Cardinalis; Renatus de Prie, tit. S. Sa-  
binæ, Cardinalis Bajocensis, & Albre-  
tus Cardinalis tit. S. Nicolai in carcere  
Trulliano. Hi quorundam absentium Car-  
dinalium mandata deferebant, nimirum,  
Philippi de Lucemburgo, Tusculani Epi-  
scopi, qui vulgo Cardinalis Cenomanen-  
sis dicebatur; Francisci Borgiæ tit. SS.  
Nerei & Achillei, Cosentini Cardinalis;  
Fride-

Secl. XVI.  
A. C. 1511.

Friderici a S. Angelo, alias dicti Cardinalis Sanseverinatis. Confluxerant quoque Prælatorum multi, nempe Lugdunensis, ac Senonensis Archiepiscopi unacum Episcopis Agathensi, Luffloniensi, Rhodiorum, Magollensi, hodie Montispeffulano, Lexoviensi, Ambianensi, Cabillonensi, Engolismensi, Tulonensi, Alestensi, Alorincensi, Matisconensi, & Lemovicensi: præter hos advenerant Abbates Cisterciensis; S. Dionysi in Galliis S. Medardi apud Sueffiones; necnon Præmonstratensis, aderant quoque Galliarum Regis Procuratores & Godefridus Bouffardus Parisiensis Cancellarius, Archidiaconus Meldensis, necnon Tolosanus nomine Universitatis in eadem urbe; unacum uno Parisiensis Academiæ Deputato; Lexoviensi Archidiacono; Ordinis Cluniacensis Procuratore; nonnullis Doctoribus Parisiensis Universitatis, ingentique inclytorum Virorum numero, Omnes hi congregati, prima die Novembris ad Camaldulensium asceterium, ubi Cardinalis S. Crucis agebat, sese transferunt, ac in horum Religiosorum Ecclesia sancto Michaeli sacra conveniunt, Dei auxilium pro congregatis exoraturi; ibique re divina per Cardinalem Bajocensem ritu solemniperacta, Ferrerius Abbas (\*) utriusque Juris Doctor orationem decla-

(\*) Hunc Acta Abbatem Subasiensem appellant.

- Sæcul. XVI.** declamavit, assumpto themate ex illis Christi  
**A. C. 1511.** *Beati, qui esuriunt,*  
**Matth. c. 5.** *Et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabun-*  
**v. 6.** *tur.* In eodem sermone Cardinales, at-  
 que Prælatos adhortatur, ut superatis  
 difficultatibus, quas piis eorum con-  
 siliis Papa objiceret, recolant verba D.  
**Timoth. c. 3.** *Pauli dicentis: Omnes, qui pie volunt vi-*  
**v. 12.** *vere in Christo, persecutionem patientur,*  
 nec paucitate suorum terreantur, eo quod  
 eorum Synodus, quæ universalem Ec-  
 clesiam repræsentaret (\*) haud absimi-  
**Daniel. c. 2.** *lis esset illi lapidi, qui postea factus est*  
**v. 35.** *mons magnus.* Denique suam orationem  
 absolvit illis Christi Domini verbis ex E-  
**Matth. c. 5.** *vangelio. Gaudete, Et exultate, quoniam*  
**v. 12.** *merces vestra copiosa est in cælis.*

Re divina de more peracta, finitaque  
 oratione lectæ sunt literæ, quibus Car-  
 dinales Synodum convocabant. Reci-  
 tantur quoque acta, ad instruendam Sy-  
 nodum prius concepta, necnon opposi-  
 tiones illius convocationi interpositæ,  
 unacum provocationibus ac responsis,  
 quibus congregandi Concilii necessitatem  
 ostendebant, ejusque indictionem vindic-  
 abant. His omnibus perlectis Francis-  
 cus de Rohan Lugdunensis Archiepiscopus  
 suggestum conscendens, clara voce  
 primæ

(\*) *Me hercle! universalis hæc Ecclesia pu-  
 sillum gregem paucosque Pastores complectitur.*

primæ Sessiois indictionem prælegit, Sæcul. XVI. A.C. 1511.  
 eamque sequenti feria quarta die quinta  
 Novembris in Cathedrali Ecclesia Pisis  
 celebrandam pronunciavit, hancque in-  
 dictionem ad valvas Ecclesiæ S. Michaelis  
 affigi jussit.

§. XXXIX.

*Pisani Concilii Sessio I.*

Præstituta die, Synodo datum est ini- Act Conc. II. Pisan. p. 84. & seq.  
 tium circa horam nonam matutinam,  
 præsentibus Lauretio Galliarum Regis  
 Legato, Philippo Decio ejusdem Regis  
 Procuratore, cum aliis duobus; aderant  
 quoque præter alios Jacobus de Colindo  
 Parisiensis Prætor, & Antonius Foyetta.  
 Demum persolvebantur preces, aliæque  
 solemnitates in Constantiensi Concilio ob-  
 servatæ. Missam quoque de Spiritu S.  
 celebrabat Bernardinus Carvajalus Car-  
 dinalis S. Crucis, lectoque Evangelio,  
 quod incipit ab illis verbis: *Vos estis sal*  
*terræ* (\*). Cardinalis qui sacris operaba-  
 tur, ipse sermonem habuit in hæc Da-  
 vidis verba Psalm. 88. v. 8. *Deus, qui*  
*glorificatur in concilio Sanctorum magnus,*  
*& terribilis super omnes, qui in circuitu*  
*ejus*

(\*) Scilicet infatuatum, quod nihil valet  
 ultra, quam ut mittatur foras, & conculcetur  
 ab hominibus.

Sæcul. XVI. A.C. 1511. *ejus sunt.* Quæ verba in sermone suo explanans ostendit, ad id unum in ejusmodi conventibus incumbendum, ut Deo ter Optimo Maximo placeant omnes; hunc enim solum eorum esse arbitrum, non nisi ejus fidem, & cultum, ac omnium, quæ his adversantur, extirpationem esse procurandam, ac denique, ne optato frustrentur fructu, Patres adhortatur, ut ab omni labe corda, ac corpora sua omnino munda servarent, ea, quæ Deo debent, discuterent, atque effectui darent, in sacrarum literarum meditatione, nec non in traditione sacra frequenter occuparentur, ut fidei depositum fideliter servare valerent. Denique finito sermone Hymnus de Spiritu S. *Veni Creator &c.* decantatur, demum vero Lutevensis Episcopus consensu suggestu sequentia decreta recitavit.

## §. XL.

*Prinæ Sessionis Decretum.*

*Sacrosancta Generalis Synodus Pisana ad reformationem tam in capite, quam in membris, pacem omnium Christianorum, bellum contra infideles assumendum, extinguendaque schismata, hæreses, & errores in Spiritu sancto legitime congregata, universalem Ecclesiam representans decernit, ordinat, definit, & declarat infrascripta:*

Primo

Sæcul. XVI.  
A. C. 1511.

Primo indicationem præsentis Concilii Pisani, literasque, & schedulas de ipsius convocatione ob præfatas causas & evidentissimam necessitatem rite ac legitime & recte processisse, ipsamque civitatem Pisarum ad ipsum sacrum Concilium celebrandum plurimis ex causis legitime fore delectam, commodam, & aptam, nisi postquam Pisas advenerunt Patres, ob Romanæ urbis propinquitatem cæperunt non abs re suspicari ab his, qui sacro Concilio non favent, extrinsece perturbationis molestias excitari, hinc supplet hæc sancta Synodus ex certa scientia & juris auctoritate omnem defectum, si quis forte in prædictis fuisse, aut esse videatur.

Decernit quoque & declarat omnia & singula tam per Papam, quam per alios quovis prætextu convocationis dicti Concilii facta, ordinata, attentata, vel attentanda, sive per interdicta aliasve censuras & privationes, vel inhabilitationes de personis nostrorum Cardinalium, de dignitatibus, Ecclesiis, monasteriis, beneficiis, pensionibusque, ac juribus eorundem, sive aliter quomocunque in præjudicium dictæ Synodi, ejusque membrorum & quovis modo eidem ad hærentium vel adhæsurorum, nulla, irrita, & inania fuisse, ac fore, illisque uti notorie nullis, irritis, & erroneis nullatenus deferendum. Nam ut Urbanus Pontifex rescripsit, quod Dominus, vel Apostoli, vel sancti Patres statuerunt, debet Romanus

nus



Sæcul. XVI nus Pontifex ad animam usque & san-  
A.C. 1511. guinem confirmare: Alioquin non senten-  
 tiam dare, sed errare convincitur.

Alio Decreto eadem Synodus juxta Decretum Constantiensis Concilii in decima nona Sessione conditum statuit, ut omnes, & singuli beneficiati huic sacro Concilio præsentibus omnes redditus, fructus & proventus suorum beneficiorum durante ipso Concilio, eisdemque in eadem Synodo perdurantibus integre percipere valeant; etiamsi Curiales beneficiati sint, vel Canonicatus fuerint, quotidianis distributionibus duntaxat exceptis. Hujus vero Privilegii sequentem adducit rationem: Quod absentes causa Reipublicæ Ecclesiasticæ in Ecclesiis, in quibus beneficia habent, præsentibus merito reputentur.

Post hæc Episcopus nomina ac numerum eorum, qui in Synodo quibusdam officiis præficiantur, prælegit: ex his Præsidis vices egit Bernardinus Carvajalus Cardinalis S. Crucis, Synodi custos nominabatur Odetus de Fuxo Lautreci Dominus, pluresque deputabantur Proto-Notarii, atque Notarii, quorum Princeps erat Ferrerio, cujus supra meminimus, præter alios Advocatos, Promotores, ac fisci Procuratores. Ad hanc prælectam cujuslibet nominationem respondebant Patres: *Placet*, significantes, se illorum selectum ratum habere. De-  
 mum

mum Præses Hymnum Ambrosianum Secul. XVI.  
A. C. 1511.  
 præcinuit, quem Cantores prosequen-  
 tur, cantuque finito Promotores, ac Fi-  
 sci Procuratores pro Synodo nominati eos  
 omnes contumaces declarabant, qui tem-  
 pore præstituto aut omnino abessent, aut  
 absentiae terminos justis de causis quibus-  
 dam concessos excederent. Pronuncia-  
 tam hanc contumaciae sententiam Patres  
 quidem approbarunt, interim tamen sibi  
 reservarunt facultatem alios Conci-  
 lii Ministros nominandi, necnon ad Sy-  
 nodum admittendi, quoscumque vellent,  
 etiamsi evoluta jamjam termino adveni-  
 rent. Denique ad feriam sextam, quæ  
 erat septima Novembris dies, secunda  
 Sessio indicta est.

## §. XLI.

*Sessio II.*

Hæc Sessio magis solemnior erat, quam  
 prima; jam enim Officialium singuli  
 suo quisque ordine sedebant, illosque  
 Cardinalis S. Crucis præcedebat: post-  
 quam igitur Missa, quæ in feria secunda  
 Pentecostes dici solet, a Narbonensi Car-  
 dinale celebrata esset, dictoque Evange-  
 lio ex capite decimo quarto S. Lucæ,  
 quod ab illis verbis incipit: *Homo quidam  
 fecit &c.* Ferrerius Abbas ad congrega-  
 tos dixit, orationis suæ argumento ex his-

*Hist. Eccles. Tom. XXXII.*

R ce

Sæcul XVI  
A.C. 1511.

ce Evangelii verbis petito : *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem. Joan. cap. 3. v. 19.* Tota autem ejus oratio duobus duntaxat punctis circumscribatur; unice enim agebat de necessitate seipsum reformandi, ac demum de studio ad emendationem Ecclesiæ in capite ac membris adhibendo.

§. XLII.

*Hujus Sessionis Decreta.*

Finito sermone, hymnoque de Spiritu sancto : *Veni Creator*, decantato, Jacobus Augustodunensis Episcopus apud Florentinos Galliarum Regis Legatus consensu suggestu sequentia recitavit decreta: *Sacrosancta Synodus decernit ordinata in Toletano Concilio super modo sedendi & loquendi in ea fore observanda, proin Canonem super hoc editum approbat, & confirmat. ac præcipit, ut nullus aut indiscretis vocibus perstrepat, aut quibuslibet tumultibus quempiam perturbet: nullus etiam obstinatis disceptationibus, vanis fabulis vel risibus tumultuosas voces audeat effundere. Quicumque autem hæc, quæ præmissa sunt, violanda crediderit, trium dierum excommunicationis sententiam ferat.*

Altero Decreto declaratum : *Quod ex sedendi vel loquendi ordine nulli Ecclesiæ vel personæ præjudicium generetur juxta sacros*

*cræ Constantiensis Synodi sanctionem, item quod per recessum quorumvis Prælatorum non censeatur Concilium dissolutum, sed remaneat in sua auctoritate & integritate.*

Post hæc nominabantur Judices, qui in hac Synodo causas ad fidem, schisma, & reformationem morum spectantes audirent. Id muneris demandatum fuit Ludovensi, Lucionensi, Ruthenensi, & Engolismensi Episcopis, eisque concessum, ut negotium usque ad definitivam sententiam exclusive pertractare valeant.

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1511.

Eadem Synodus in alio Decreto prohibuit: *Ne ullus ex sacri Concilii incorporatis ob quamvis causam ad Romanam vel aliam Curiam Synodo durante invitatus trahatur, seu quoquo modo turbetur, vel molestia afficiatur.* Præterea nominabantur duo Protonotarii Apostolici, qui suffragia inspicerent, præter septem Cursores, qui annuntiarent divina officia, deputationes generales, Congregationes, publicasque Sessiones, simulque citandos convocarent, aliaque peragerent, quæ ad Officium Cursorum pertinere noscuntur. Denique statuit Synodus, ut fieret hujus Synodi sigillum, quod exhiberet figuram Spiritus sancti in specie columbæ, literis in circuitu extantibus: *Sacrosancta generalis Synodus Pisana.* Cuncta hæc Decreta unanimi omnium consensu fuere approbata, postea vero Ses-

Sæcul. XVI fio tertia ad decimam quartam Novem-  
A.C. 1511. bris diem indicebatur.

## §. XLIII.

*Sessio III.*

**A**st Feria secunda, die nona ejusdem mensis Patres in ædibus Albreti Cardinalis congregati sanxerunt, maxime expedire, ut Sessiones maturarentur, cum adeo urgentes obversarentur rationes, ut omnino tertiam Sessionem aliquot diebus ante præstitutum terminum celebrari oporteret. Unde ea ad proximam feriam quartam indicebatur; neve ignorantia a quovis obtendi posset, Congregatorum definitio Ecclesiæ Cathedralis valvis affigebatur. Hac autem die Decreta prælegebantur, quorum primo sancitum, Synodum dissolvi non posse, usquedum Ecclesia tam in capite, quam in membris esset emendata, hæresesque, ac schismata succrescentia fuissent extincta, ac bella penitus sopita: Concesserunt tamen, Synodum in tutum quemdam locum transferri posse, si hac super re communi cum Pontifice consilio quicquam decerni valeat, nihilominus urbs Romana semper excepta esset. In secundo Decreto innovata fuisse statuta quintæ Sessionis Constantiensis Synodi de auctoritate Conciliorum Generalium, ac definitum. I. Cum Concilium  
legi-

legitime congregatum a solo Christo Domino suam auctoritatem derivet, hinc omnes cujuscunque conditionis essent, etsi dignitate Papali fulgerent, eidem obtemperare teneantur in rebus, quæ fidem, schismatum extirpationem, ac reformationem Ecclesiæ concernunt. II. Omnes personæ cujuscunque status ac conditionis, etiamsi Papalis existant, si ejusmodi Synodi Constitutionibus, ac Decretis circa præfata tria capita, aliasque materias connexas sese submittere, pertinaciter detrectaverint, pro ratione culpæ puniantur, nisi forte resipiscant, si vero necessitas suaderet, ad alias quoque juris vias recurrendum; cumque in secunda Pisani Concilii Sessione statutum fuisset, quod nullus Prælatus, Doctor, aut alius quiscunque Synodo nondum absoluta discedere posset, nisi legitima ex causa a Deputatis discutienda, ideo hanc in rem quatuor Cardinales, duo Archiepiscopi, ac quatuor Episcopi nominabantur, qui velut Judices, ac Commissarii allegatas discedendi rationes ponderarent, veniamque abeundi concederent, ita tamen, ut duo inter quatuor nominatos Cardinales, aut inter Prælatos saltem sex consentirent.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1511.

Sæcul. XVI  
A. C. 1511.

§. XLIV.

Pisani Cardinales a Papa excommunicati, atque exauctorati.

*Marian. lib. 30. n. 18.* Cum vero summus Pontifex congregatis assidue negotium facefferet, ægre  
*Nic. Bosel. in inchoata Synodo Patres novis artibus si-*  
*addit. ad* bi providere compellebantur: vix enim  
*Chron. Nauc. hoc an 1511.* Julius Synodum convocari, ac Cardina-  
*Raynald. l. c. n. 32.* les, qui illam celebrari desiderabant, il-  
*Petr. Delph. l. 10. c. 28.* luc accedere compererat, cum palam illos anathemate percuteret. Hi erant Carvajalus, Cosentinus, Macloviensis, ac Bajocensis Cardinales, qui suis beneficiis, ac dignitatibus spoliabantur. Equidem Papa inter ceteros prima vice Cardinalem Cosentinum non nominabat, veritus, ne Regis Catholici, cui sanguine junctus erat, indignationem incurreret, postquam vero Ferdinandus summo Pontifici significaverat, nequaquam illum a debita poena eximendum esse, eoquod Rege inscio, imo adversus illius mandata Pontifici adversaretur, suæque patriæ honorem prostitisset, mox Papa illum pari cum ceteris poena mulctabat. Eodem supplicio in Albretum, & Sanseverinatem ejusdem delicti complices animadvertere statuit; ast obstabant oppositiones expectatione graviores; major enim sacri Collegii pars hujus sententiæ acerbati

bitati ac rigori obluſtabatur, nec de-  
erant, qui Confratrum fuorum excom-  
municatorum crimen excufaturi affirma-  
rent, eos in Canones haud peccaffe ex  
eo, quod in tuto loco pro Eccleſiæ refor-  
matione in ſuo capite & membris Syno-  
dum deſideraſſent, atque ejusmodi Con-  
cilium celebrari adlaboraſſent.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1511.

§. XLV.

*Gravis Papæ ægritudo.*

Verum hæ rationes magis exulcerabant  
Pontificis animum, cunctosque fer-  
me Cardinales ſibi inſenſos reputabat;  
tanto igitur tædiorum concuſſu, ac neg-  
lecta valetudinis ſuæ cura attritus, in-  
eunte mense Auguſto in gravem morbum  
incidit, ac die decima ſeptima adeo in-  
genti animi languore oppreſſus eſt, ut  
a ſuis domeſticis pro mortuo haberetur:  
unde mortis fama per urbem ſparſa, mul-  
ti Cardinales abſentes, Romam iter in-  
ſtituebant, ibidemque nonnulli Proceres  
(\*) populum ad recuperandam liberta-  
tem incitabant. Nihilominus Pontifex  
linquentem animum non nihil revocabat,  
quamvis per aliquot dies a mortis peri-  
culo

Guicc. l. 10.  
Spond. l. c.  
n. 17.  
Raynald. hoc  
an. n. 61.

R 4

culo

(\*) Ceteri Historici referunt, hos non fuiſ-  
ſe Proceres, ſed ſeditioſos quosdam homin-  
um.



Sæcul. XVI. culo haud abiectus esset, quocirca per  
 A.C. 1511. inde ac brevi moriturus, res suas dispo-  
 nere continuabat, cum vero vereretur,  
 ne ejus Successor ab Urbinatis Duce ob-  
 patratam Papiensis Cardinalis cædem ca-  
 pitales pœnas exposceret, illum a crimi-  
 ne absolvit, præsentibus omnibus Cardi-  
 nalibus velut in Senatu congregatis. De-  
 mum Purpuratos hortabatur, ut ex Ca-  
 nonum præscripto sibi Successorem deli-  
 gerent: quocirca Constitutionem hac su-  
 per re in secundo Pontificatus sui anno  
 conditam confirmavit. Referunt quoque  
 Scriptorum nonnulli, Julium de proximo  
 vitæ suæ termino adeo persuasum fuisse,  
 ut etiam Bullam nonnisi post ejus obitum  
 promulgandam reliquerit, qua anathema-  
 ta in Ferrariæ Ducem, Bentivolios, eo-  
 rumque fautores vibrata revocaverat.  
 Utut hæc sunt, brevi sententiam mutas-  
 se videtur, quippe recepto vix animo ad  
 pristinum, idque implacabile odium in  
 Gallos rediit.

*Hist. fœd.  
 Camer. t. 2.  
 l. 3. p. 48.*

## §. XLVI.

*Julii fœdus cum Ferdinando, & Ve-  
 netis contra Gallos.*

*Petrus Ang-  
 ar. ep. 465.*

Interea Petrus Navarra Neapolin perve-  
 nit cum mille quingentis militibus, qui  
 quamvis belli laboribus exhausti, armis-  
 que pessime instructi essent, vincere ta-  
 men

men assueti erant, utpote reliquæ generosissimorum illorum pugilum, qui tot victoriis ab Infidelibus reportatis, atque in Barbariæ oris tot urbium expugnatarum gloria illustrissimi celebrabantur: Igitur Pontifex de Gallis vindictam sumpturus, cum Petro Navarra foederis sanciendo consilia prosequeretur, cumque Hispanorum classis quingentis cataphractis, & sexcentis levioris armaturæ equitibus, peditumque duobus millibus instructa, Malaccensi portu solvens, tandem in Italia adpelleretur, summus Pontifex totus in eo erat, ut mutua armorum societas cum Rege Catholico ac Venetorum Republica maturaretur. Ceterum Papa Ausciorum Cardinalem ex arce S. Angeli dimisit, nec tamen plena eidem libertate concessa, sed custodiæ loco illi Palatium suum assignavit, donec Bentivolii cunctos Romanæ Curiae subditos, quos capta Bononia, in carceres detruserant, libertati restituissent. Præterea jussit summus Pontifex, ut Cardinalis in fidei suæ pignus quadraginta aureorum millia deponeret, illorum dispendium facturus, si vel Roma excederet, vel Pisas contenderet.

§. XLVII.

*Fœdus Ferdinandi cum Papa, Venetisque promulgatum.*

Denique fœdus Papam inter & Venetos,

R 5.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1511.

Guicc. l. 10.  
Raynald an.  
1511. n. 34.

Sæcul. XVI. tos, Regemque Catholicum die quinta  
 A.C. 1511. Octobris firmatur, ac Romæ in Ecclesia  
S. Mariæ de Populo re divina per ipsum  
 Pontificem peracta, ingenti Pompa pub-  
 licatur. Ad honestandum hoc foedus ob-  
 tendebatur, quod schismatis declinandi  
 haud alia via superesset, insuper urgeret  
 necessitas, ut Pisana Synodus diffi-  
 paretur, quam Conciliabulum, non-  
 nisi ad fovendum schisma conflatum ap-  
 pellabat Pontifex, veritus, ne in eo sta-  
 tuta auctoritati Apostolicæ contraria cu-  
 derentur. Præterea in eodem foedere  
 sancitum erat, ut Statui Ecclesiastico pri-  
 stina ejus jura vindicarentur, proin Bo-  
 noniæ ac Ferrariæ ditiones redderentur.

## §. XLVIII.

*Hujus Foederis Articuli.*

*Marian. lib.* **C**irca articulum de militum suppetiis  
 30. n. 21. diu utrinque deliberatum, Hispanis,  
 Venetisque contendentibus, parem cum  
 illis copiarum numerum etiam a Julio sup-  
 peditandum; tandem vero inter eos con-  
 ventum, ut aleret Pontifex quadringen-  
 tos Cataphractos, quingentos equites le-  
 viter armatos, peditumque sex millia;  
 Veneti autem ægre admodum promitte-  
 bant octingentos cataphractos præter mil-  
 le levioris armaturæ equites, ac peditum  
 octo millia. Facta demum Hispani subsi-  
 dii

Sæcul. XVI.  
A.C. 1511.

dii computatione, deductisque copiis ad tuendum Neapolis Regnum necessariis, supererant mille ducenti Lancearii, mille levioris armaturæ equites, præter duodecim peditum millia. Demum ad sustentandas hasce copias utrinque sancitum, ut Papa, Venetique singulis quisque mensibus viginti aureorum millia subministrarent, si vero expensæ hanc summam excederent, tertiam earum partem Hispani solverent. His stabilitis Regis Catholici Legato literæ argentariæ submittebantur, ad quarum fidem octoginta aureorum millia Neapoli numeranda essent, ut ea ex summa duorum mensium stipendia copiis prænumerari possent. Alio præterea articulo statutum, ut Veneti irruptione in Longobardiam facta hostium vires distraherent, urbesque ante Cameracense foedus ab eis occupatas, si denuo illas foederatorum armis recuperarent, Pontifici depositi nomine relinquerent, mediamque sumptuum partem ad instruendam classem sustinerent.

## §. XLIX.

*Raymundus Cardona Pro-Rex Neapolitanus foederatis copiis præfectus.*

Gravior disceptatio circa supremi Bel-  
liducis electionem foederatorum ani-  
mos *Raynald. ad ann. 1511. n. 66.*

Sæcul. XVI. mos tenebat, quippe contendebat Pontifex, quod honor Virum ad summum exercitus imperium nominandi Sedi Apostolicæ deferendus foret: Veneti ex adverso propugnabant, se longævi temporis prærogativa Italicæ libertatis Custodes fuisse, hunc vero honorem eis præripi, si belli Præfectum seligendi auctoritate spoliarentur: Prævaluere tamen Hispani Legati rationes, unoque ore conclusum, quod supremum exercitus Imperium Hispano asserendum esset (\*). Mox plurium animis ea insedit opinio, aut Consalvum, aut certe Petrum Navarram a Rege nominandum esse; at neglecto utriusque obsequio, Ferdinandus Raymundo Cardonnæ Proregi Neapolitano bellici imperii summam detulit, qui tamen nec milites, nec Ducis partes explere didicerat, cetera Aulicus omnibus numeris absolutus, Regis imperantis voluntati adeo sine discrimine ad nutum intentus, ut iussa æqua ab iniquis discernere haud valeret.

§. L.

---

(\*) Allegantur Ciaconius, & Raynaldus tanquam nugacis hujus contentionis testes, quorum tamen neuter vel verbulo illius mentionem facit.

§. L.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1511.*Cæsar atque Angliæ Rex ad hoc fœ-  
dus sollicitati.*

Quamvis Imperator hoc fœdere com-  
prehendi renueret, nihilominus  
hanc armorum societatem nonnisi ex ejus  
sententia fuisse firmatam, secretiori arti-  
culo palam declarabat, quinimo in fœ-  
deris partem, si accedere vellet, voca-  
batur, nec quidem Galliarum Regis nomen  
ibidem exprimebatur, satis tamen aperte  
indicabatur, illum sub nomine defensoris  
eorum, qui beneficiarias Ecclesiæ urbes  
possiderent, quales erant Bentivolii ac  
Ferrariensis Dux, comprehendî. Henri-  
cus vero Angliæ Rex disertis verbis no-  
minatus, huic societati nomen dare sol-  
licitabatur: cum autem Rex ille Julii  
Pontificis jura se tueri palam profiteretur,  
haud levem in eo spem collocabat Ponti-  
fex, auxitque fiduciam Gallos debellan-  
di ardor Angliæ Nationi ex primævo  
naturæ genio tam potenter inditus, ut  
cuncta retro sæcula nonnisi unicum, id-  
que sub Richardo III. referant factum,  
quo Angliæ subditi ad arma Gallis infe-  
renda suppetias toties ab eorum Regibus  
exactas dare recusabant. Aliunde Hen-  
ricus VIII. eo tempore omnes Christianos  
Principes perfecta submissione erga Se-  
dem

Sæcul. XVI. dem Apostolicam superare certabat, nec  
 A. C. 1511. deerant Regi immensæ, quas ei Pater  
 suus reliquerat, divitiæ, quarum ope  
 magnos ausus aggredi potens erat. Idem  
 quoque Legatum extraordinarium in Gal-  
 lias decreverat, dato negotio, ut cum  
 Cabanilla Hispaniæ Legato consilia con-  
 ferret, atque ambo Ludovico Galliarum  
 Regi porrecto libello significarent, ut Bo-  
 noniam restitueret: ei autem rem adeo  
 æquam renuenti nunciarent, Regem An-  
 gliæ filialis observantiæ legibus obstringi,  
 ut sacram Sedem in suam fidem accipe-  
 ret, ejusque auctoritatem tueretur. Hæ-  
 minæ perinde erant, acsi bellum nuncia-  
 retur. His Galliarum Rex haud parum  
 concitatus, utrique sine ambage respon-  
 dit: ego non minori facilitate Bononi-  
 am conservabo, ac hucusque Mediola-  
 num propugnavi, atque hisce minis mi-  
 nus nihilo terreor, & rem bello decernere  
 paratus sum: illius discrimen, quando-  
 cunque experiri voluerint vestri Reges, il-  
 lorum arbitrio relinquo.

## §. LI.

*Papa belli initium a Florentiæ expug-  
 natione duci peroptans.*

**N**ihilominus Galliarum Rex nonnihil  
 anxius hærebat, dum bellicos fœ-  
 deratorum apparatus, inittäque societa-  
 tis

tis articulos non ita pridem promulgatos Sæcul. XVI.  
 perspexerat, auxitque timorem utrius- A.C. 1511.  
 que Regis fiducia, qua prosperos armo-  
 rum successus adeo fidenter sibi pollice-  
 bantur, ut Papam Bononiæ, ac Ferrar-  
 iæ jamjam imperitantem cernere crede-  
 rent; unde Julii arbitrio relinquebant,  
 quænam harum urbium prima expugnare-  
 tur, & quamvis Pontifex Bononiæ recupe-  
 randæ desiderio flagrare videretur, mu-  
 tato tamen repente consilio totus in eo  
 erat, ut expeditionis initium a Florenti-  
 ni status expugnatione duceretur, eo-  
 quod hic iis, qui in Pisana Synodo adversus  
 Papam congregati erant, asylum præbe-  
 ret. Præterea Papa eo firmiter suo pro-  
 posito inhæsit, quo certius persuasum si-  
 bi habebat, Gallos Romandiolam infestis  
 armis invadere minime ausuros, nisi ex  
 Hetruria annonam extrahere certo spe-  
 rarent.

## §. LII.

*Petrucius Florentinorum invasionem  
 Papæ dissuadet.*

Cum vero Florentinorum Status Senen-  
 sibus haud conspirantibus armorum  
 vi expugnari vix posset, Pandulphus Pe-  
 trucius Senensis Reipublicæ Rector in  
 consilium advocatur, qui ibidem summo  
 Pontifici gravibus rationum momentis ex-  
 ponit, culpam haud reparandam com-  
 mitti,



Sæcul. XVI  
A.C. 1511.

*Guic. l. 10.*

mitti, si iniquissimo hoc tempore Florentinis bellum inferretur; hanc enim Rempublicam hucusque neutri parti adhæsisse, jam vero si bello peteretur, abs dubio se Gallis addicturam, horum vero vires inde non parum auctum iri; nec Florentinos, quod Pifarum urbem in Synodo congregandis concessissent, culpæ postulandos, cum ad id armis, ac plusquam viginti armatorum millium exercitu compulsi essent. Nec tamen Petruccio aliæ deerant rationes, quibus Papam a Florentinorum bello avertere impellabatur; timebat enim, ne foederatorum copię castris suis totum Senensium territorium emetirentur, villasque circumvicinas occuparent, quo facto in se Senensium invidiam concitasset. Utut res se habuerit, Hispaniæ tamen ac Venetorum Legati adductis Petruccii rationibus expugnati, Julium impense rogabant, ut primos socialium armorum conatus ad Bononiæ recuperationem impenderet; nam dicebant, diuturniori Florentinorum expugnatione frustra tempus conteri; cæsis enim Gallis Florentiam absque obsidionis impendio deditorem facturam, Gallis vero victoriam reportantibus, abs dubio eorum ope urbem in tuto collocandam. His permotus Pontifex, Legatorum votis cessit.

§. LIII.

## §. LIII.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1511.*Florentinorum consilia adversus Pisanam Synodum.*

Florentinos recordatio discriminis, quod vix eluctati erant, in Pisanam Synodum acriter concitabat; unde Patres fabam, quæ in eos cuderetur, brevi animadvertentes, suæque saluti timentes, Galliarum Regem summis precibus urgent, ut trecentorum Lanceariorum suppetias submitteret; annuit Rex, simulque Odeto Fluxo Lautreci Domino nonnisi viginti annorum juveni negotium dedit, ut has copias protinus Pisas adduceret. Ast Florentini Lautrecio ingressum cum suis in urbem denegant, veriti, ne Pisani cives, prout sub Carolo VIII. contigisse meminerant, Gallos ad subigendam civitatem incitarent. Ergo Lautrecio significant, Pisanos Gallorum studiis plus æquo addictos esse, proin Reipublicæ salutem deprecari, ne Galli cum tam valido militum præsidio urbem intrarent, Lautrecus quid amplius a Florentinis obtinere desperans, consensit, ut nonnisi cum centum lanceariis Pisas ingrederetur, qua conditione acceptata civitatem adeundi veniam impetravit.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1511.

§. LIV.

Synodum Pisis Mediolanum transfe-  
rendi ratio.

Præterea Florentini alio eventu territi, inconsultam suam, qua Synodum in sua ditione celebrari permiserant, facilitatem damnabant; Accidit enim, ut Clerici Florentini, cum Prælati supplicantium more Ecclesiam Cathedralem accederent, hos ad chorum admittere, illisque ad rem divinam ibidem peragendam necessarium apparatus concedere renuerent. Conqueruntur illi apud Magistratus, qui quamvis omnes patria Florentini essent, Clericis tamen præceperunt, ut Synodi Patribus accessum ad chorum indulgerent, facultatem interim Clericis dederunt, ut Patribus chorum ingressis, ipsi eorum cætibus non assisterent, sed mox abirent, non redituri, nisi illis inde recedentibus. Igitur hi Præfules, cum Synodum suam Florentinis indies magis exosam fieri haud obscure intelligerent, de alio loco cogitare cæperunt, demum vero novo casu turbati, omnino urbe excedere decreverunt; contigit enim, ut quidam equites Galli ad Arni pontem in quamdam Florentini præfidiarii militis meretriculam incurrerent, ac cum illa primo jocarentur, illamque, cum durioribus

Raynald. hoc  
an. n. 92.

ribus verbis eos exciperet, injuriis quoque afficerent; mox Florentini milites puellam erepturi accurrunt, eam tuentur, gladiosque stringunt; Gallis vero vim repellere conantibus, verborum contentio ad cruentam cædem degenerasset, nisi utriusque nationis Belliduces dimicantium furorem cohibitori, omnem suam auctoritatem impendissent; Lautrecus quoque & Castillionæus, cum ad hunc rumorem accurrissent, leviter faucii recesserunt. Patres, quoniam tumultus in quodam compito prope Ecclesiam, in qua tertiam Sessionem eodem tempore celebrabant, contigisset, tanto terrore percellebantur, ut unanimi suffragio Synodum suam Mediolanum transferre decernerent, spe freti, ibidem securitati suæ magis consultum iri, eisque majorem reverentiam esse exhibendam, cum præsidium hujus urbis non nisi ex galli-  
cis copiis constaret.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1511

## §. LV.

*Cæsar suis Prælati accessum ad Synodum concedere cunctatus.*

Potissimum vero anxias Patrum curas augebat Germanorum Prælatorum absentia, qui Synodum accedere abhorrentes, ægre Cæsari dederunt, ut Augustæ conventus ageretur, in quo, an Germa-

Marian. lib.

30. n. 24.

Spon. ad an.

1511. n. 25.

Sæcul. XVI. niæ Præsules ad Concilium mittendi es-  
 A.C. 1511. sent, decerneretur. Ast hac super re ni-  
 hil decisum fuit (\*); quin imo non de-  
 sunt, qui Cæsarem, ut Imperii Præsules  
 Synodum accederent, remisse admodum  
 instituisse credunt, argumento inde petito,  
 quod propositioni de pace privata facillimas  
 aures præbuisset. Præterea Sanseverinas  
 Cardinalis Maximilianum vana spe, frivolisque  
 ac confictis pollicitationibus læstabat. Acce-  
 serant insuper fervidæ preces Petri de Urrea, qui  
 Ferdinandi apud Cæsarem Legatus illum ve-  
 hementer sollicitabat, ut sese ceteris fœ-  
 deratis Principibus jungeret, nomenque  
 fœderi daret, a quo Italiæ securitas jux-  
 ta ac tranquillitas dependeret, pollicitus  
 etiam, a Fœderatis copias aurumque sup-  
 peditatum iri, quibus Mediolani Ducatus  
 occupari, ac Geldriæ Dux ad obsequium  
 revocari posset. Equidem Maximilianus  
 ab hoc consilio parum alienus erat: ast  
 quamvis hæc ipsa via ceteris magis expedita,  
 magisque secunda sibi metipso videretur,  
 nihilominus semper animo fluctuans,  
 dubiusque etiam in promissis vel maxime  
 proficuis anceps hærebatur.

*Raynald. ad  
 ann. 1511.  
 num. 53.*

§. LVI.

(\*) Guicciardinus testatur, decretum fuisse,  
 Pisanum Concilium seditiosum ac detestandum  
 esse.

## §. LVI.

*Pisana Synodus Mediolanum  
translata.*Sæcul. XVI.  
A C. 1511.

Cunctis hisce rationibus permoti Patres Concilii locum mutare statuunt, atque in tertia Sessione illud Mediolanum transferre decernunt, ibidem continuandum, donec de tuto, commodo, ac communi loco cum Pontifice consensissent, ne vero interruptum censeretur, ad decimam tertiam Decembris diem Sessio indicta est, sancitumque, quod Patres saltem octava ejusdem mensis die Mediolanum convenirent, atque eo delati mox Cardinalem S. Crucis Præsidentem adirent, ac de negotiis in proxima Sessione tractandis deliberarent: cum vero Patres Synodi locum mutasse, Pisisque excessisse brevi fama Mediolanum detulisset, urbis clerici ac Religiosi vexilla, Crucemque præferentes, hymnosque decantantes obviam procedebant, quos ipse etiam Senatus, Magistratus, Collegia, ac innumera hominum frequentia usque ad civitatis portam comitabantur, ut ibidem Cardinales, Prælatos, ceteraque Synodi membra honorifice exciperent (\*).

*In aff. Pis.  
Conc. p. 105.  
Raynald. hoc  
ann. n. 42.*

S 3

Hoc

(\*) De hac solemnī receptione altum ubique silentium, Guicciardinus lib. 10. apud Raynaldum

Sæcul. XVI. A.C. 1511. Hoc itaque comitatu illos sonantibus omnibus campanis, tubisque, per plateas auleis ornatas ad Ecclesiam deducebant, ubi decantata Antiphona de Spiritu Sancto, Præses populo bene precabatur, ac demum singuli ad suas ædes revertebantur.

## §. LVII.

*Helvetiorum irruptio in Mediolanensem statum.*

*Guicc. l. 10.* *Card. Bembo* *hist. Venet.* **P**ostera die octava Decembris Concilii membra in ædibus Cardinalis S. Crucis convenerunt, ut adversus Helvetios, qui

---

*dum l. c. testatur, quod horum seditiosorum ingressu Clerus Mediolanensis funestatam urbem arbitratus, mox sponte templa clausit, sacrorumque usu abstinuit, tum fideles hosce rebelles, præcipue vero Bernardinum Carvajalum publicis maledictis devoverint, dicentes, cum alias Concilia ad conglutinandas Ecclesie dississas partes instituta essent, hoc Conciliabulum ad schisma creandum, confundendamque Ecclesiam congregari. Nec ipse Cardinalis de Prietujus literæ exstant in appendice auct. Concil. Pisan pag. 162., populum in factiosum hunc conventiculum tumultuasse dissimulat. Ast huic conciliabulo saltem magnificis verbis auctoritatem conciliare oportebat.*

qui Julii hortatu in Mediolani Ducatum Sæcul. XVI.  
 irruerant, consilia sua conferrent; Præ- A. C. 1511.  
 terea Sessio sequens edito decreto ad deci-  
 mam tertiam Decembris diem S. Luciae sa-  
 cram indicitur; verum comperta Helve-  
 tiorum in Mediolanensium ditionem in-  
 cursu, ad quartam Januarii Anni sequen-  
 tis millesimi quingentesimi duodecimi  
 Sessionem protrahere compellebantur.  
 Nunc vero hujus invasionis Helveticæ oc-  
 casionem recenseamus, quæ inde conti-  
 git; cum enim Helvetii, quos Galli mer-  
 cede conduxerant, a Ludovico Rege sti-  
 pendia viginti librarum millibus augeri  
 peterent, Rex inde offensus, atque Natio-  
 nis hujus, quæ præceps, ac repulsæ  
 impatiens est, indolem haud considerans,  
 petita concedere renuit: hinc Helvetii  
 ira concitati, cum sex suorum millibus,  
 quos ex Friburgensi & Sutiensi pagis  
 contraxerunt, nullo equitatu, nullisque  
 belli tormentis præter septem minoris  
 globi campestris instructi, in Mediolanen-  
 sem Ducatum irruunt, moxque Varesium  
 occupant, ubi quindecim ac ferme  
 sexdecim suorum millibus confluentibus  
 Gastoni Fuxo Nemorsii Duci bellum nun-  
 ciant; hic nonnisi viginti duorum an-  
 norum Princeps Longevillensi Duci, qui  
 Ciamontio Marefcallo successerat, a Re-  
 ge Mediolani Gubernator subrogatus e-  
 rat, cumque Gallorum exercitus numero



Sæcul. XVI  
A. C. 1511.

valde decreveret, nequidem ducentos Lancearios colligere poterat, non alias secum copias habens, quam bis mille pedites, præter urbes præfidiis munitas; nihilominus in Helvetios copias suas duxit; hi vero itinere Galeram versus suscepto, aliquamdiu ibi hæserunt, cujus moræ beneficio Equites, qui in Mediolanensi Ducatu erant, sese Gastoni jungendi spacium nacti sunt.

§. LVIII.

*Helvetii haud conspecto Fœderatorum exercitu ad sua reversi.*

Interea Helvetii, cum Gallorum exercitu longe superiores essent, virium suarum fiducia animati, Galera in aciem progrediuntur; ast invicta Nemorsii constantia, & accedens etiam loci, quem exile illius agmen occupabat, opportunitas, Helvetios Galeram, unde venerant, citius reverti compulit. Verum viribus refecti Bastiam contendunt, quam urbem Gallorum præsidio destitutam reppererunt, cumque Gasto Mediolanum sese recepisset, fugientem insecuti, eum quoque arctius cingere parabant. Hic tamen opportune epistolam ab Helvetiorum Ducibus ad suos Rectores datam interceptit, qua

5117

qua eis significant, mirari se, quod nec ul- Sæcul. XVI.  
A. C. 1511.  
 lum Papæ nec Regis Catholici, qui ta-  
 men ad primum Helvetiorum adventum  
 Mediolanum invadere polliciti essent, ex-  
 ercitus vidissent, licet ipsi jam ad inte-  
 riores Mediolanensis ditionis partes pe-  
 netrassent, nunc vero hac super re, quid  
 agere deberent, ulteriora Pagorum jussa  
 se præstolari scribebant. Percepta epi-  
 stolæ summa Gasto Præfecturæ suæ  
 fines tam validis munivit præsidiis, ut  
 Helvetii, cum a suis Rectoribus nulla  
 mandata accepissent, ad sua reverteren-  
 tur, itineris compendio usi, suumque ve-  
 xillum grandius complicatum in quodam  
 sacco reportantes, quo tamen explicato  
 se victoriæ summa potituro existimabant,  
 licet illud nunquam ullis partæ urbis  
 moenibus infixissent, illo abhinc tempo-  
 re, quo in bello adversus Carolum Bur-  
 gundiæ Ducem ante Nancejense præ-  
 lium, ubi idem Dux occubuit, victores  
 extiterunt. Verum vix Belitionem at-  
 tingerant, cum Fœderatorum copias ma-  
 gnis itineribus ad Bononiæ obsidionem  
 contendere percipiunt. Nihilominus ad  
 castra reverti, constanter renuunt, caussa-  
 ti, Mensis Decembris asperitatem ad  
 prælia, urbiumque obsidiones in Longo-  
 bardia importunissimam esse.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1511.

§. LIX.

*Florentini ad Gallorum partes a Rege sollicitati.*

*Guic. l. 10.* **D**emum Helvetiis recedentibus, Galliarum Rex ingenti metu liberabatur; tum vero primum cognoverat, quam necessarium esset, ut validiorem exercitum in Mediolanensi Ducatu aleret; quocirca ingentem pecuniarum summam, qua Gasto Fuxus milites in supplementum legeret, a mensariis eidem numerari omnesque cataphractos, quotquot in Galliis habebat, Alpes superare iussit, exceptis ducentis lanceariis, quos ad Picardiæ fines tuendos reliquerat, veritus, ne Anglorum Rex hac ex parte in Regnum irrumperet; demum Oratori suo, qui Florentiæ Gallorum res procurabat, præcepit: Florentinos induceret, ut haud amplius suspensi hæerent, sed unice Gallis sua studia devoverent. Ast illi haud tam obtuso valebant ingenio, ut non prospicerent, quod sese, si Ludovici XII. petitis annuerent, gravissimo implicarent bello, cujus exitus valde anceps esset, quocirca quamvis Soderinus Reipublicæ vexilifer, Vir Gallis addictissimus illos ad amplectendas Gallorum partes permovere summis conatibus satageret, potissima tamen Florentini Senatus pars nihil innovan-

novandum, sed pristinis Rempublicam Sæcul. XVI.  
inter & Franciam foederibus insistendum A. C. 1511.  
censebat; his denuo, incassum licet, Soderinus reposuit, eos opinione falli, veteribus enim Florentinorum negotiis novas, easque maximi momenti res accrevisse, illumque a partium studio alienum animum, qui hucusque eorum salutis fuisset, brevi extremam Reipublicæ ruinam illaturum; parum enim abfuturum, quin Medicæi in Florentinum imperium reponerentur; id vero, ne fieret, præter Regem Christianissimum, nulli alteri integrum esse. Ast Respublica insuperhabitis Soderini rationibus neutri parti sese addicere statuit.

## §. LX.

*Florentinorum Deputati ad Franciæ Regem, & Fœderatos.*

Nihilominus Florentini, ut justo modamine Soderini indignationem declinarent, in quasdam conditiones consenserunt, quarum nonnullæ Galliarum Regi, aliæ vero fœderatis eo consilio proponerentur, ut ab utriusque partis studio semoti vivere permitterentur. Hujus rei cura Valorio, & Guicciardino mandata fuit: ille ergo ad Franciæ Curiam, Guicciardinus vero ad fœderatos deputatus est; neuter tamen habuit prosperum

*Guicc. l. 10.*

Sæcul. XVI. A.C. 1511. sperum Legationis suæ successum: Ludovicus enim Galliarum Rex nonnisi in probra, minasque effusus, Valorium excepit; Julius quoque Pontifex Guicciardino significabat, se absque Neapolitani Regis consensu Florentinorum petito acquiescere non posse, ipse ergo Guicciardinus Regem accedere compellebatur; ubi tamen Prorex totum negotium Pontificis arbitrio reliquit, qui duras adeo condiciones proposuit, ut eas acceptare Oratori haud liceret. Ergo Florentini consilii inopes hærebant, eoquod Foederatorum copiæ die vigesima nona Decembris, asperrimo licet hyemis tempore, in castra procederent, Forum-Cornelii, qui edictus ad conveniendum locus erat, petituræ.

## §. LXI.

*Initium imperii Cheriforum in Africa.*

*Paul. Jov. in elog. l. 7.*  
*Leo Afric. l. 2. c. 32. & l. 4. c. 26.*  
*Marmot de l'Afrique l. 2.*  
*De Thoce hist. l. 7.*

Ab hoc anno millesimo quingentesimo undecimo Cheriforum, seu Principum Arabum imperium sua ducit exordia. Horum primus fuisse creditur Alfaqius Mahometanæ Legis Doctor, qui Anno millesimo quingentesimo octavo clarescere cæperat, seque Mahometem Ben Hamet, seu Zidametem, Cherifum Hascen appellabat, atque genus suum a Maho-

Mahomete Pseudo-Propheta ducere professus erat. Hic Cerifi nomen adoptabat, quod non nisi posteris, qui ex Mahometis filiabus descendebant, proprium fuerat. Tres genuit Filios Abdalquivirum, Hametem, & Mahamedem, quos Religionis causa Mecham in Medinam transmisit, ut etiam inter Africanos magnum sibi nomen conciliarent. Inde reduces ab hac barbara gente velut Viri sanctitate eximii colebantur, eo quod Morabitarum sectæ nomen dedissent: Zedametes vero duos ætate juniores Fezzam misit, qui scientiarum fama clarissimi ex Modarcani Collegii Cathedra, quæ natu majori deferebatur, disputationes publice habebant; Juniori vero Regia juvenus literis imbuenda tradebatur. Pater perspecta utriusque Filii sui indole, quæ ad omnem belli scientiam nata videbatur, ad occupandum imperii solium opportune uti statuit, nec ablusit eventus; sceptrum enim sibi vendicabat qua armis, qua fraudibus, potissimum vero insigni pietatis ac Religionis fuce auctoritatem sibi conciliabat, tamque potenter novi sui regni fastigium firmabat, ut illud ad suos quoque posteros transmitteret, cujus Filii Cherifi, id est, *Viri sapientes* appellati Maroccanum, Fezzanum, Tafiletanum &c. regna posterioribus annis subegerunt.

§. LXII.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1511.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1511.

§. LXII.

*Joannis Reuchlini controversia de  
Judæorum libris.*

Jam per plures annos Joannes Reuchlinus sibi celebre Viri doctissimi nomen emeruerat, cum omni scientiarum laude præcipue vero in linguarum Orientalium peritia celebratissimus audiret: De his vero cum quibusdam Religiosis Coloniensibus controversiam habuit, quæ ad hunc usque annum fervebat. Is erat natione Germanus, ob eruditionis suæ præstantiam ubique in honore habitus, alio etiam nomine vocabatur *Fumus*, seu ΚΑΠΝΟΣ, eoquod Germanicum verbum *Rauch*, & Græca vox *Capnion* significet *Fumum*. Primam lucem aspexit Anno salutis millesimo quadringentesimo quinquagesimo quarto in oppido Pforzein prope Spiram; dein Vir facundissimus, ac juris, omnisque literaturæ indagator solertissimus, trium quoque linguarum, scilicet Hebraicæ, Græcæ ac Latinæ interpret peritissimus evasit. Post hæc Lutetias Parisiorum cum Episcopo Ultrajectino profectus, ibidem Hebraicæ linguæ studium prosequabatur, non quidem Joannis Petræ, ut quorumdam, atque inter eos Genebrardi opinio est, sed cujusdam Judæi in hisce scientiis veratissimi

*Molch. Adam  
de vitis Phi-  
lof. Germ.*

tissimi magisterio usus, prout ex ipsis Reu-  
 chlini epistolis elucet. Huic Judæo Sæcul. XVI.  
A.C. 1511.  
 nomen erat Jacobus Schiel Loans, Joannes autem Petra itidem natione Germanus, ac Doctor Sorbonicus Reuchlino adhuc puero nonnisi latinæ Grammaticæ rudimenta tradidit; Græcum vero idioma eum docuit Gregorius Tiphernas; ac in arte Rhetorica Guilielmus Tardifus seu Tardius, & Robertus Gaguinus eundem imbuerunt. Postmodum Reuchlinus Basileæ Philosophiæ Doctor creatus, quarto post anno inde Aureliam petebat, jurisprudentiæ operam navaturus, ibique Græcas literas publice tradens Anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto Doctoratus laurea coronatus est: Idem quoque idioma Pictavii docebat, inde vero in Germaniam reversus, paulo post cum Eberhardo Comite de Wirtemberg Romam venit, ubi frequens ei erat cum Hermolao Barbaro familiaritas, a quo etiam Græcum nomen *καρχνεν* pro *Reuchlino* accepit. Demum vero in Germaniam rediit, ab Eberardo ad Fridericum II. Imperatorem ablegatur, ubi summis honoribus exceptus, ad Wormatiensia comitia, in quibus Comes Reuchlini fautor Sæviæ Dux creabatur, missus est. Tertiopost suam electionem mense Eberardus e vivis excedens, ditiones suas Udalrico Henrici



**Sæcul. XVI.** **A.C. 1511.** Henrici Comitis fratris sui filio reliquit, ast ex suis Nepotibus alius quidam, nomine Eberardus II, Suevia armis occupata Reuchlinum exulare iussit, qui Wormaliam secedens, quadruplicis imperii Historiam pro Philippi Palatini Principis institutione elucubravit: Cum vero idem Princeps Romæ adversus quemdam Religiosum, qui Monasterii sui Visenburgensis alumnis justitiam fuisse denegatam apud Alexandrum VI. querebatur, iudicio contenderet, ac Papa Religioso contra Electorem jus diceret, hic ad tuenda jura sua neminem Reuchlino aptiorem inveniens, eundem Romam misit, ubi solido biennio moratus, ingenium suum sub quodam Magistro secta Judæo, Abdia nomine, hebraicæ, linguæ vero Græcæ secretis Argyrophilo præceptore usus mirifice excoluit. Anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo octavo die decima septima Julii Dissertationem de juribus Principum Germaniæ, necnon de Germanicæ Ecclesiæ privilegiis prælegit, summo Pontifice, ac Cardinalibus præsentibus. Roma redux, mutatam in Suevia rerum faciem reperiebat; Usurpatorem enim inde expulsam, atque Udalricum imperio restitutum cernebat, cum Maximilianus Cæsar huic Principi Tutores nominasset, a quibus Reuchlinus revocatus est. Eodem tempore

pore Imperatoris, ac S. R. I. Electorum nomine Suevici foederis *Triumvir* feligebatur, Oenipontum ad Cæsarem ablegatus.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1511.

§. LXIII.

*Reuchlinus propter Rabbinorum libros a Coloniensibus Theologis vexatus.*

Verum tam amplios, quibus Reuchlinus claruit, honores non parum diminuit, bellum literarium, quod contra eum Colonienses Theologi suscitaverunt; quidam enim præfatæ urbis Judæus, nomine Pfefferkorn, dudum inter gentis suæ Viros Messiam se esse fingebat, cum vero suam fraudem detectam comperiret, Christianorum sacris sese addixit, simulque Hochstrato Ord. FF, Prædicatorum in Germania Inquisitori, necnon Arnaldo Tungrensi in Coloniensi Universitate Theologiæ Professori suggestit, quod consultum esset, ut omnes Judæorum libri, utpote impietatibus, blasphemis, ac superstitionibus pleni comburerentur: Ambo hanc in rem a Maximiliano edictum promulgari petebant, quibus lubenter annuit Imperator: Illud vero edictum, ut revocaretur, instabant Judæi, qui in aula Cæsarea plurimum gratia valebant, causati, quod Pfefferkornius omnia perlu-

Paul. Jov. in  
elog. c. 143.

Dupin. Bibl.

Script. t. 14.

Sæc. 16. p. 2.

Argentre

collect. jud.

de novis er-

roribus t. 1.

p. 349.

Spond. ad

ann. 1510.

n. 14.

*Hist. Eccles. Tom. XXXII.*

I tra-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1511.  
straret compita, eorum aedes ingredere-  
tur, librosque vi e manibus ipsorum e-  
velleret: Interea vero Reuchlinus hujus  
edicti executionem Stutgardiae fieri præ-  
pedivit. Igitur Cæsar Coloniensi, Mo-  
guntinæ, Oxfordiensi, atque Heidelber-  
gensi Universitatibus negotium dedit, ut  
hac super re, junctis Reuchlini, Victoris  
Corbei & Jacobi Hochstrati consiliis,  
sententiam suam edicerent. Reuchlinus  
a ceteris interrogatus, scripto mentem  
suam integra fide aperuit, duo genera li-  
brorum Judaicorum distinguens, quorum  
quidam de variis argumentis ad religio-  
nem non spectantibus tractantes, alios  
autem recta adversus Christianam fidem  
elucubratos dixit, censuitque primos uti-  
litate sua fors haud carere, ceteros vero  
supprimendos esse.

*Vander-  
Hardt. p. 16.  
part. 2.*

Pfefferkornius, cujus quæstui hæc  
Reuchlini sententia minus favebat, eum  
confutaturus librum Germano idiomate  
edidit, quem *speculum manuale* inscripsit,  
cui Reuchlinus alium opposuit, titulum-  
que præfixit: *Speculum oculare*, in quo  
conqueritur, adversarios suos plusquam  
triginta calumnias in eum effutiisse.  
Theologi Colonienses Reuchlini librum  
examine subjecerunt, ac omnino quadra-  
ginta quatuor propositiones ex eo decer-  
perunt, quas latine redditas Arnaldus  
Tun-

Tungrensis cum notis earum cuilibet specie-  
 ciatim subjunctis publici juris fecit, illas-  
 que Colonienses Theologi erroris, hæ-  
 resisque accusarunt. Adversus hos Reu-  
 chlinus latinam concinnavit apologiam  
 Cæsari nuncupatam, qua edita coram  
 Hochstrato Inquisitore, præsentem Electro-  
 re Moguntino, comparere jubebatur; cum  
 vero ob grave senium, adversamque va-  
 letudinem ipse venire præpediretur, Pro-  
 curatorem misit, qui nomine suo Hoch-  
 stratum hujus causæ judicem, utpote si-  
 bi summe adversantem, recusaret; cum  
 vero Reuchlini exceptio non admittere-  
 tur, Procurator Romam provocavit. Ea  
 etiam appellatione spreta, Hochstratus  
 sententiam pronuntiavit, qua libri, cui ti-  
 tulus *Speculum oculare*, lectionem prohi-  
 buit. Reuchlinus ab hac sententia ad  
 Sacram Sedem appellavit: Papa vero  
 hujus causæ cognitionem ad Episco-  
 pum Spirensis, atque Electorem Pala-  
 tinum remisit, qui sex nominarunt Com-  
 missarios, qui erant Thomas Trusches,  
 Georgius de Swalbac, Philippus Flers-  
 heim, Virgilius Sickinger, Jodocus Gal-  
 lus, & Wolfgangus Fabricius Capito. Hi  
 Judices Spiræ congregati utrique liti-  
 gantium parti diem dixerunt, Reuchli-  
 nus equidem comparuit, Hochstratus  
 vero recusata hujus tribunalis auctorita-  
 te

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1511.

*Hist. Univ.  
 Paris. t. VI.  
 p. 47. & seq.*

*Jo. Sleidan.  
 de statu Rel.  
 & Reip. l. 2.  
 fol. 22. & seq.*



Sæcul. XVI te condemnatus est, eo quod citationi non  
 A. C. 1511. paruisset.

Instructis interea Spiræ hujus iudicii  
 actis Theologi Colonienses suorum quos-  
 dam Lutetiam Parisiorum ablegarunt,  
 qui Theologicæ Facultati articulos ab  
 Universitate Coloniensi rejectos expone-  
 rent, ac desuper iudicium ferri postula-  
 rent. Parisienses Theologi conventu ha-  
 bito, Mense Augusto Anno Salutis mil-  
 lesimo quingentesimo decimo quarto sen-  
 tentiam ab octoginta Doctoribus subscri-  
 ptam pronuntiant, qua Reuchlini librum  
 igne comburendum censebant. Hanc  
 sententiam jam Mense Februario a Theo-  
 logis Coloniensibus executioni datam  
 fuisse, existimat Dupinus, quamvis vero  
 similis videatur, id nonnisi post prola-  
 tum Parisiensis Facultatis iudicium con-  
 tigisse. Pfeffenkornius hac victoria ela-  
 tus novum opus edidit adversus Reuch-  
 linum, cui titulum præposuit, *Cymba-  
 lum tinniens*; unde Reichlinus denuo  
 causam suam Romam deferre, ac decisi-  
 vam a Papa sententiam exorare com-  
 pellebatur. Ferme omnes Europæ Do-  
 ctiores Reuchlino favebant, ejusque Pro-  
 curatori quamplurimi Principes ac Ger-  
 manicæ Præfules literas commendatitias  
 Romam perferendas committebant, quin  
 etiam omnes doctrina ac politiorum ar-  
 tium peritia conspicui Romæ Reuchlini  
 causam

*Argentre*  
 l. c. p. 350.

causam tuebantur; abundabat enim eo <sup>Sæcul. XVI.</sup>  
 tempore amplissima hæc Civitas Viris <sup>A. C. 1511.</sup>  
 non solum Græci ac Latini, sed etiam  
 Hebraici idiomatis scientia longe claris-  
 simis. Ceterum hujus causæ cognitio  
 a summo Pontifice demandata est Gri-  
 mano Cardinali, cui adjungebatur An-  
 conitanus Cardinalis, ipsiusque Hochstra-  
 ti auctoritati datum, ut etiam Cajeta-  
 nus itidem Cardinalis, necnon Sylvester  
 Prierius Magister Sacri Palatii, ambo Or-  
 dinis FF. Prædicatorum alumni aggreg-  
 arentur. Nec tamen horum favor a-  
 deo prævaluit, ut hi Judices Hochstrato  
 patrocinentur; hinc ille haud amplius  
 obtinere poterat, quam litis inducias;  
 tractu tamen temporis Reuchlino adver-  
 santes cum eo in gratiam redire compel-  
 lebantur, ipsique Dominicani litis ex-  
 pensas pendere, ac Romæ absolutionis  
 sententiam procurare decreverant; Reu-  
 chlinus enim quosdam hujus Sacri Or-  
 dinis Viros semper sibi amicitia junctos  
 numerabat, qui illum ob eximiam lingua-  
 rum eruditionem plurimi habebant; i-  
 mo in ipso disputationum æstu hi ipsi  
 phures Reuchlino chartas tradebant, in  
 quibus ejus doctrinæ applaudebant.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1511.

## §. LXIV.

*Plurium Cardinalium obitus.*

Hic annus Sacro Purpuratorum Collegio non solum funestus accidit ob necem Francisci Aledosii Papiensis Cardinalis, quem post captam a Gallis Bononiam ab Urbinatis Duce Julii II. Nepote trucidatum memoravimus, sed plurium etiam aliorum Cardinalium obitum Roma luxit; e vivis enim excefferant, Oliverius Caraffa, Ludovicus Borgia, Petrus Isualia Siculus, Gabriel de Gabriellibus, Fanensis, & Franciscus Argentinus patria Venetus.

## §. LXV.

*Oliverius Caraffa.*

*Ciacon. in  
Paul. II. t. 2.*

Oliverius Caraffa natione Neapolitanus, filius erat Francisci Caraffæ, qui Anno millesimo quadringentesimo sexagesimo a Florentinis in Sarnensi prælio captus demum octogesimo quarto ætatis anno extremum diem obiit. Oliverius ejus filius ad Archiepiscopalem Neapolis Ecclesiam vocatus, Anno salutis millesimo quadringentesimo sexagesimo quarto a Paulo II. Cardinalis tit. SS. Marcellini & Petri creatus est, postea Albanensis, Sabinensis, Ostiensis, Sacrique Collegii Decanus

canus renunciatus. Fatis concessit Ro-  
 mæ hoc anno die vigesima Januarii, an-  
 nos natus octoginta & amplius. Idem  
 ipse Joannem Petrum Caraffam Nepo-  
 tem suum, qui demum Papa absumpto  
 Pauli IV. nomine creatus fuit, Clericali  
 militiæ adscripsit.

Sæc. XVI.  
 A.C. 1511.

§. LXVI.

*Utriusque Borgiæ obitus.*

Petrus Ludovicus Borgia a pueritia Va-  
 lentinæ Archiepiscopali Sedi desti-  
 natus, atque ab Alexandro VI. Anno Chri-  
 sti millesimo quingentesimo purpura de-  
 coratus est, qui idem primum titulum  
 S. Mariæ in via lata, dein SS. Nerei &  
 Achillei adoptabat, simulque Majoris  
 Poenitentiarii munus obibat. Hujus  
 mortem nonnulli ad quintam Octobris  
 diem Anni supra millesimum quingente-  
 simi duodecimi revocant, eumque hoc  
 casu obiisse recensent; cum enim hic  
 Cardinalis Neapoli ultroneo sese exilio  
 mulctaret, dein vero incertus ibi rumor  
 de Julii II. obitu per urbem serperet, ipse  
 concitatis equis Neapoli Romam perre-  
 xit: ast ex equo lapsus mortem eo  
 vulnere obiit. Eodem hoc anno Fran-  
 ciscus Borgia itidem Hispanus, ac Co-  
 sentinus Archiepiscopus, cum Pisas ad  
 Synodum contenderet, anno ætatis suæ

*Aubery hist.  
 Cardin.*



Sæc XVI. septuagesimo vivis ereptus est. Is ab  
A. C. 1511. Alexandro VI. Anno Domini millesimo  
 quingentesimo Cardinalis tit. S. Luciae,  
 postea SS. Nerei & Achillei renuntiatus,  
 demum Theatinæ Ecclesiæ præfectus  
 fuit.

## §. LXVII.

*Petri Isualis mors.*

*Guic. l. 9.  
 & 10.*

*Garimb. l. 4.*

*Ciacon. in  
 Alex. VI.  
 pag. 191.*

**P**etrus Isualles, seu Isualia Messinæ na-  
 tus, qui Ecclesiæ S. Mariæ Majoris  
 Archipresbyter, ac Reginus Archiepis-  
 copus prius erat, ab Alexandro VI. die  
 vigesima quinta Septembris Anno salutis  
 millesimo quingentesimo Cardinalis Pres-  
 byter primo S. Cyriaci, deinde S. Puden-  
 tianæ declaratus est, quam dignitatem,  
 si quorundam opinioni fides habenda, ad  
 preces Ferdinandi Arragoniæ Regis ob  
 præclara obsequia eidem præstita ade-  
 ptus est. Id tamen Garimberto non pro-  
 batur: certius autem est, quod paulo  
 post Legationem ad Hungariæ, & Bo-  
 hemiæ Reges Sedis Apostolicæ nomine  
 subierit. Post hæc Julius II. eundem  
 cuidam expedito militum agmini præse-  
 cit, dato negotio, ut Bononiam, quam  
 tum Bentivolii occupaverant, invaderet;  
 quod & ipse tentabat, sinistro tamen ex-  
 peditionis successu, quippe cæsa suorum  
 parte, ipse non nisi ægerrime Cesenam  
 versus

versus fuga sibi consuluit, ubi non multo post tempore die vigesima quarta Septembris Anno millesimo quingentesimo undecimo mortuus est. Delatum est corpus ejus Romam, sepultumque in Ecclesia S. Mariæ Majoris.

Sæc. XVI.  
A.C. 1511.

## §. LXVIII.

*Gabrielis de Gabriellibus extrema.*

Gabriel de Gabriellibus, Fani in Marchia Anconitana natus, regnante Alexandro VI. erat Protonotarius Apostolicus, Urbinatis Episcopus, demumque Cardinalis: progressu enim temporis adeo sibi devinxit Julianum Ruverum, ut ab eo, cum sub nomine Julii II. ad Petri Cathedram ascenderet, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quinto in Presbyterum Cardinalem nominatus fuisset; hic Vir per vitæ suæ probitatem, atque eximiam morum comitatem omnium amorem sibi conciliabat, dein nomine summi Pontificis Perusii, Umbriæque legatione fungebatur, quam tamen ob aeris gravitatem valetudini suæ adversam paulo post dimisit, hinc Romam reversus est, ubi omnem censum, ac pecuniam, quæ ex functionis suæ juribus juste sibi obvenerat, ad pedes Pontificis lætus effudit, in Sedis Apostolicæ commodum expendendam.

Sæc. XVI.  
A.C. 1511.

dam. Erat in dandis consiliis adeo dexter, ut nullum alium præter Gabrielem Julius II. congressui, quem Ferdinandus cum Ludovico XII. Savonæ instituit, adhibendum censeret. Denique e vita migravit feria quarta die vigesima quarta Octobris, ut referunt nonnulli, vel juxta alios decima quarta Novembris, annos natus sexaginta sex, Vaticanæ tamen Ecclesiæ monumenta illius obitum revocant ad sextam Novembris, mortuumque testantur in Palatio Apostolico, ubi apud Pontificem habitabat. Sepultus est in æde S. Praxedis, cujus titulum habebat; duos Nepotes suos Ludovicum, & Petrum Galeatium hæredes scripsit.

§. LXIX.

*Francisci Argentini fatum.*

*Aubery hist. Card. Ciacon. in Jul. II. p. 297.*

Postremus denique fuit Franciscus Argentinus, humili loco natus Venetiis, non autem Argentinæ, ut perperam Cabrera scribit, filium cum Patre confundens, qui vere ex Argentina civitate ortus erat. Franciscus, cum esset juvenis, audax, corporis dignitate præditus, magnanimus, ac naturæ beneficio eloquens, eum Julius his dotibus captus, ad honores provehere studuit, eumque variis juxta ac gravissimis negotiis præfecit; eidem enim curam demandavit, ut pacem

cem cum Venetis conciliaret, ac seditio-  
 sos Cardinales ad obsequium revocaret. Sæc. XVI.  
A.C. 1511.  
 Horum meritorum suffragio ab eodem  
 Papa Concordiensis Episcopus, demum  
 Anno millesimo quingentesimo undeci-  
 mo Cardinalis renunciatus est, cum tan-  
 ta Pontificis lætitia, ut præ gaudio totus  
 in lacrimas difflieret, qua tamen conso-  
 latione haud diu potiebatur: Argenti-  
 nus enim eodem Anno die Sabbati vige-  
 sima tertia Augusti repentino morbo cor-  
 ruptus obiit, non sine immodico Ponti-  
 ficis luctu, qui, ut fertur, præ dolore i-  
 psum animam agere videbatur. Cada-  
 ver ejus primo in æde S. Mariæ Trans-  
 tyberim conditum, postea Concordiam  
 delatum Cathedralis Ecclesia excepit.  
 Posteris reliquit Franciscus, ut refert  
 Ciaconius, quædam ingenii sui monu-  
 menta, atque inter cetera tractatum de  
 immunitate Ecclesiastica.

§. LXX.

*Sessio IV. Pisani Concilii Mediolani  
 habita.*

Tandem Pisanæ Synodi Patres, timore  
 depulso, præfixa die quarta Januarii In act. II.  
Conc. Pisan.  
p. 108. Et seq.  
 Anno millesimo quingentesimo duodeci-  
 mo Mediolani quartam habebant Sessio-  
 nem, cui plures, quam Pisis iutereant;  
 accesserant enim Sanseverinas, & S. An-  
 geli

**Sæcul. XVI.** **A.C. 1512.** geli Cardinales præter Præsules Catalaunensem, Bierrensem, Valentensem, Aftensem, San-Floriensem, aliumque Episcopum, unacum Abbatibus S. Antonii, Viennensi, & Clerfensi. Ibi sacro solemniter de Spiritu Sancto per Renatum Prie Bajocensem Cardinalem decantato, Ordinis Præmonstratensium Procurator sermonem habuit, in hæc Davidis verba: *Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem deos judicat.* Psal. 81. v. 1. Differuit is de ineluctabili necessitate Synodum celebrandi, necnon de zelo, quo Patres vacillantem Ecclesiæ disciplinam restaurare tenerentur. Postmodum fusius scelera, quæ vineam Domini depascere, haud alio quam Generalis Synodi remedio corrigenda enumerabat. Denique Lutevensis Episcopus Synodi decreta prælegit, quorum hæc summa est.

## §. LXXI.

*Decreta hujus Sessionis.*

*Sacrosancta generalis Synodus Pisana ad hæresum, errorum & schismatum extirpationem, ac reformationem Ecclesiæ, pacemque Christianorum & contra Infideles expeditionem divinitus inspirata desinit, ac declarat, quod ipsa Synodus plurimum desideret, ut omnes fideles intelligerent, quanto justitiæ & pietatis zelo progredi intendat*  
eum

Sæcul. XVI  
 A.C. 1512.

cum unione & concordia Julii II. Papæ, ita ut cum eo aut Legatorum ipsius præsentia Synodus continuari debeat, & terminari; eam ob causam & Pisis in Sessione tertia quatuor Oratores ad ejusdem Sanctitatem sacrumque Collegium Cardinalium Romæ existentium destinavit, qui exponerent, quod Synodus superioribus diebus miserè speciales nuntios ad sacrum Cardinalium Collegium, qui eos rogarent, ut apud Papam intercedere dignarentur, quatenus ejus Sanctitas locum aliquem communem, atque omnibus tutum ac securum pro celebrando universali Concilio juxta Constitutionem Concilii Constantiensis deligeret; nostri tamen Deputati post multa super hoc pertractata nihil prorsus obtinere potuerunt. Ea ex re, quamvis palam esset, Sanctitatem ejus ab hujusmodi concordia prorsus alienam esse, quod postea longe manifestius apparuit ex injusta, & illegitima privationis sententia contra quatuor ex Patribus dicti Concilii indictoribus lata, a qua antea & post ipsi Patres ad nos appellarunt. Ut tamen notum omnibus fiat, sanctam ipsam Synodum in omnibus cum benignitate, humilitate, & pace ambulare, recta via ad ipsum Papam Oratores mittendos duximus cum speciali mandato, ut ejus Sanctitati offerantur infra scriptæ civitates fere omnes Imperiales, videlicet in Italia Vercellæ, Taurinum, Casale montis Ferrati, & Verona: extra Italiam

Sæcul. XVI. A.C 1512. *Italiam vero Gebenna, Constantia, Bisuntium, Metis, Avenio, & Lugdunum, in optionem & liberum arbitrium eam, quam maluerit pro loco universalis Concilii deligendi. Dein si ex prædictis locis nullum Sanctitas sua acceptandum duxerit, offertur ei facultas nominandi totidem Civitates in Italia, quæ nec sub temporali ipsius, nec sub Venetorum jurisdictione existant. Quod si nec hoc Sanctitas sua facere voluerit, Synodus ipsa intra quadraginta dies e præsentium data, quod juris & rationis fuerit, providebit, & cum Deo efficiet Mediolani. Ad quam iustissimis ex causis ex ordinatione ejusdem in tertia Sessione Concilium ipsum translatum existit.*

*Præterea Oratores nostri dicent Papæ, ejusque Cardinalibus, quod desideret Synodus res Bononienses & Ferrarienses tractari ac proin quod in iis ipsa Synodus adset Sanctitati suæ, dummodo deponantur arma, quousque per generale Concilium hujusmodi causarum judicem competentem, quid juris sit, definiatur. Sic enim parcere-  
tur sanguini Christiano. Datum Pisis die duodecima Novembris Anno priori millesimo quingentesimo undecimo.*

*Quoniam vero nostri Oratores accedentes Florentiam, ac deinde Florentinæ Republicæ Cursorem ad Romanam Curiam miserunt, qui saluum conductum a summo Pontif-*

Sæcul. XVI.

A. C. 1512.

Pontifice implorarent, non modo tamen non obtinuerunt, sed etiam ipsi tabellario a deo graves minæ illatæ fuerunt, ut re infecta sugam arripere coactus, ad eosdem Oratores redierit, ut salutis suæ consuleret. Hinc quamvis clare & evidenter pateat, ejus Sanctitatem pacem & reformationem Ecclesiæ denegare, sancta tamen Synodus concedit pro omni & peremptorio termino alium terminum triginta dierum a die præsentis Sessionis, quæ quarta Januarii anno Domini millesimo quingentesimo duodecimo Mediolani celebrata est. Intra quem terminum respondeat, & acceptet, vel nominet aliqua loca juxta instructionem præinsertam.

Ne vero Pontifex ignorantiam obtenderet, hoc decretum palam affigi jussurunt, illudque eam vim habere pronunciarunt, perinde ac si illud ipsimet prælectum fuisset. In alio Decreto Patres adhortantur Pontificem ac Principes, ut ab armis cessarent, ne belli tumultus pio Ecclesiam reformandi proposito obsisterent. Demum Prælati post inchoatam Synodum Mediolanum delati admittebantur, prius tamen consuetum de more juramentum præstare tenebantur; cum vero plures eorum, se nunquam Concilium accessuros, sacramento spondissent, ac juramenti religione se teneri existimarent, hinc ab omni, cujuscunque conditionis esset, jurisjurandi fi-

de



Sæcul. XVI. de solvebantur, simulque ab omnibus cen-  
A. C. 1511. furis a Papa in eos latis, quas omnino  
 nullas declararunt, liberabantur. Dein  
 aliud adhuc decretum condebatur ad-  
 versus illos, qui membrorum Synoda-  
 lium beneficia vel obtinerent, vel acce-  
 ptarent cunctique facta hujus Decreti  
 promulgatione, omnibus beneficiis, com-  
 mendis, atque dignitatibus, etiamsi eas  
 ab ipso Pontifice impetrassent, spoliaban-  
 tur, ac ad eas possidendas inepti decla-  
 rabantur, sancitumque, cunctis hisce  
 decretis plenam atque integram fidem  
 esse adhibendam; cum vero quampluri-  
 mi eorum, qui Mediolanum venerant,  
 censuris a summo Pontifice in eos ful-  
 minatis gravi terrore percellerentur, eam-  
 que ob causam ingens eorum numerus,  
 quos Præsules sibi familiares habebant,  
 sub prætextu *monitorii* (ut vocant) a Pa-  
 pa editi urbe aufugerent, ideo Synodus  
 illis sine Dominorum suorum venia rece-  
 dere inhibuit. His decretis omnium con-  
 sensu approbatis, de Sessione V. actum est.

## §. LXXII.

*Sessio V. Mediolani celebrata.*

*In act. Conc.  
 Pis. II. p. 22.*

Habita est Sessio V. feria quarta die un-  
 decima Februarii, ubi Cardinalis  
 S. Crucis Synodi Præsides sacris operatus  
 est, recitatisque litanis, ac absoluta sup-  
 plica-

plicatione Ferrerius Abbas Evangelium Sæcul. XVI.  
A.C. 1512.  
ex cap. 18. S. Matthæi prælegit, *si peccaverit in te frater tuus corripe eum, quem Evangelii textum Præses explanans, illius lectionem impense commendabat, fusius in correctionis fraternæ præcepta excurrens. Sermone finito innovatum est Constantiensis Synodi decretum ad- versus illos, qui Synodum accedentibus injuriam inferrent, aut inde recederent, statuta in ejusmodi criminum auctores excommunicationis majoris pœna: Quoniam vero, inquit Synodus, illos, quos spirituales censuræ, & divinus timor a malo non prohibent, temporalium nonnunquam pœnarum metus coercet, eapropter ipsa Synodus privat ejusmodi transgressores omnibus honoribus, dignitatibus, officiis, beneficiis, indultis ac privilegiis.*

Postea statutum fuit, ut Synodus de cetero in patentibus literis utatur pendente bul-  
la plumbea, quæ in altero Spiritus Sancti effigiem in columbæ specie, verbis in circuitu existentibus: Spiritus Paracletus docebit vos omnem veritatem, in altero vero Sculpturæ latere hæc verba: Sacrosancta generalis Synodus Pisana continebit. His ita decretis Synodus pro Civitate Bononiensi Legatum nominavit Cardinalem Sanseverinum, eidemque die undecima Februarii Legationis suæ literas expedi-  
ri jussit.

§. LXXIII.

U

*Hist. Eccles. Tom. XXXII.*

Sæcul. XVI.  
A. C. 1512.

§. LXXIII.

*Sessio VI. Mediolanensis.*

*In act. l. c.*  
*p. 147.*

*De chesne*

Die vigesima quarta Martii, quæ erat feria quarta, Sessio VI. celebrata est, remque divinam peregit Franciscus de Rohan Lugdunensis Archiepiscopus, quam sermo, a Guilielmo Quercio Theologiæ Doctore, atque Parisiensis Universitatis Theologo declamata excepit; hic assumpto argumento ex verbis S. Pauli: *Christus dilexit Ecclesiam, ut exhiberet ipse sibi gloriosam non habentem maculam.* ad Ephes. 5. v. 25. & 27. Christi charitatem erga Ecclesiam suam, statum hominis ante lapsum, remedia post lapsum adhibenda, & externa atque interna Ecclesiæ ornamenta exposuit, ac denique differuit de vitiis, quibus Ecclesia tam in suo Capite, quam in potissimis membris commaculatur. Absoluta oratione Fiscales Concilii Procuratores rursus paucis referebant, qua moderatione Patres erga Julium usi essent: quam parum vero hic Pontifex cunctis eorum precibus, ac sollicitationibus detulisset, cum inducias ei concessas spreverit, necnon promissa eidem facta, atque indulgentiam hactenus exhibitam flocci habuerit. Demum incusabant Papæ pertinaciam, qua omnibus propositis obluclatus esset rationibus, quibus ad reddendam Ecclesiæ pacem

pacem induci debuisset (\*). Absoluta hac relatione Papam denuo ad Synodum vocari, sique post trinam citationem comparere negligeret, contumacem declarari postularunt. Annuit Synodus Procuratorum votis, moxque Catalaunensis, & San-Florinus Episcopi Pontificalibus ornati, summi Altaris gradus conscendebant, & trina vice clamabant: *Adestne Julius II. Papa, vel alius ejus nomine*; post hæc ad medium Ecclesiæ procedentes, idem repetebant; demum ad valvas Ecclesiæ tertiam faciebant citationem: Nemine autem comparente, Synodi Præsidem de Papæ absentia certiozem reddebant.

## §. LXXIV.

*Sessionis VI. Decreta.*

His peractis diversa condebant decreta, velut totidem Ecclesiasticæ disciplinæ

U 2

næ

(\*) Hæc ac cetera temeraria verba, aususque sacrilegos hi graculi a Basileensibus corvis didicerant; nam nil antiquius schismaticis est, quam identidem vociferari: Pax! pax! & non erit pax; cum illi primi pacem perturbent, schisma consent, atque nutriant; hi, me hercle, egregii sunt Synodi Patres, quorum decreta Spondanus ad hunc annum num. 14. (Gallus licet ac in Francia Episcopus) conciliarium nugas appellat.

**Sæcul. XVI. næ regulas.** *Primo admonentur omnes A. C. 1512. Concilium celebrantes, ut gravitatem & honestatem, quæ Viros Ecclesiasticos decet, observent, vitam & conversationem exemplarem ducant, & cum ad dandam legem toti orbi conveniant, ipsi prius in se legem demonstrent: meminerint se esse sal terræ, in quo opus est, ut nunc salietur mundus, sint pii coram hominibus, ut videant bona opera ipsorum; Ipsi enim inquit Apostolus: estote exemplum fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate, ipsis igitur necessaria est bona conscientia propter se ipsos, bona fama propter proximos (\*). Quoniam vero opera, quæ hoc sacrum Concilium prosequitur, nimis grandia sunt, necessario ad Dominum recurrendum est orationibus, jejuniis, & eleemosynis pro successu & prosperitate hujus Concilii. Ut autem certa singulis præscriberentur opera, Synodus præcepit, ut quilibet de Concilio singulis diebus brevem saltem aliquam orationem ad Deum fundat pro felici successu Synodi;*  
*singulis*

(\*) Observes velim, in actis hujus Conciliabuli subjungi hæc verba: Quantum ad conscientiam attinet, unusquisque eam sæpe examinet, & mundet, qui Sacerdotes sunt sæpe celebrent, alii vero sæpe confiteantur. Forte Continuatori displicuit, quod a tam præclaris Patribus commendetur frequens confessio, atque sacræ Synaxis perceptio.

*singulis vero feriis quintis in majori Ecclesia celebretur Missa de Spiritu sancto, in qua omnes intersint, necnon inter Missarum solemnia duo Cursores cum pixidibus recipiant, quicquid a Concilii Membris offertur. Post Missam vero Promotores Concilii distriouant hujusmodi oblationes pauperibus: tempore autem divinorum non fiant invicem confabulationes, nec lectiones, nisi forsitan in libro Missali. Præterea quilibet saltem in hebdomada semel feria sexta vel alia jejundet: qui autem jejungere non potest, det pro arbitrio quamdam elemosynam. Prælati etiam in mensis suis sobrietatem colant, atque in omni sacerdotali convivio divinarum literarum lectio misceatur.*

*Caveant insuper omnes, ne convivia vel suspecta commercia cum mulieribus habeant; vestimentis quoque utantur, prout sacri Canones inslituunt, abstineant proin a coloribus a jure prohibitis, vestesque deferant talaris, & tam retro quam a lateribus & desuper clausas. Deferant tonsuras suis Ordinibus congruentes & capillos ita tonsos, ut aures pateant: Curent incedendo per viam, quanto pauciores possunt, conducere famulos, ita ut Patriarchæ nonnisi octo, Archiepiscopi sex, Episcopi quatuor, Abbates duos ante se præire contenti sint. Iisdem famulis præscribebat Synodus sese vestiendi, ludendi, ac conversandi rationem.*

U 3

Postea

Sæcul. XVI.  
A.C. 1512.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1512.

Postea statuit, ut omnes Religiosi existentes in loco Concilii portent habitus suarum Religionum, nec sine legitima causa vagari extra sua monasteria præsumant. Hujusmodi vero statuta ac monita quilibet Præses per membra suæ deputationis observari faciat: transgressores autem charitative corrigat. Denique de ordine servando in Deputationibus, Congregationibus & Sessionibus actum, Decretumque fuit, ut quatuor ordinentur deputationes, inter quas omnia Concilii membra æqualiter distribuuntur, & sint in qualibet aliqui ex Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Doctõribus, Religiosis, aliisque variarum Nationum Viris; in prima autem deputatione agatur de fide, in secunda de reformatione, in tertia de Ecclesiastica libertate, in quarta de pace; in qualibet etiam deputatione eligatur unus Præses singulis mensibus per vota singulorum, & in qualibet earum deputetur unus Promotor, Notarius, & Cursor. Hæc vero deputationes congregabuntur bis in septimana, videlicet die lunæ, & die Mercurii de mane hora septima: & si in prædictis diebus occurrerit festum aliquod præcipuum, poterit in sequenti die congregari, vel in die præcedenti, sicut per Præsidentem fuerit intimatum. Quolibet mense nominentur tres de qualibet deputatione, qui conveniant simul cum Præsidente ad videndum materias deputationibus distribuen-

stribuendas, sic tamen, ut in fine cujuslibet mensis eligantur novi Deputati, & de quolibet deputatione tantum remaneat unus, tertia vero juxta plurium Suffragia in suo munere persistat. In deputationibus nulla sit facultas definiendi, sed solum in scriptis redigendi, quæ in Congregationibus generalibus perfecte definiri poterunt, postea in Sessionibus publicentur.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1512.

His ita statutis Patres Synodi indicationem, convocationem ac celebrationem tanquam legitimam confirmant, atque approbant, quatuor innixi rationibus; quarum prima erat, quod ejusmodi Concilia celebrari Constantiensis & Basileensis Synodus præceperit. Altera, quod summa & evidens esset necessitas Ecclesiæ mores tam in capite, quam in membris admodum collapsos restaurandi, necnon pacem ac libertatem ipsius Ecclesiæ revocandi, & innumera scandala ac bella sedandi, denique prælium contra orthodoxæ religionis hostes ineundi. Tertiam petebant rationem ex juramento Julii Papæ, ac Cardinalium de ipso Concilio infra biennium celebrando, in cujus juramenti transgressione agebant, idem Pontifex generalem Synodum convocandi facultatem omnimodam Cardinalibus indulgit: eam ob causam Cardinalium a Romana Curia secedentium portio non modo majorem saniorumque aut duas partes Collegii, verum &



Sæcul. XVI. A.C. 1512. *integrum Collegium refert in hoc casu & re-  
præsentat. Eapropter omnes & singulas in-  
terdicti, & excommunicationis, ac male-  
dictionis censuras & pœnas privationis di-  
gnitatum, ac beneficiorum contra Cardina-  
les, Patriarchas, Archiepiscopos, Episco-  
pos, Abbates, Doctores, Religiosos, Uni-  
versitates, Reges, Duces, & Principes huic  
Synodo Pisanae vel adhærentes, vel in ea per-  
sistentes declarat fore, ac fuisse irritas cum  
omnibus iis, quæ per Papam lata vel impo-  
sterum ferenda sunt. Quinimo præcipit Sy-  
nodus, ut quilibet in omnibus suis dignitati-  
bus & officiis libere, ut prius permaneant,  
& in suis beneficiis persistent, ac si præsa-  
tæ pœnæ nunquam a Papa fuissent emanatæ;  
demum idem Concilium prohibet, ne quis  
tam regularis quam sæcularis cujuslibet sta-  
tus, gradus, & dignitatis existat, injuri-  
am, damnum, aut calumniam inferre præ-  
sumat, indicta pœna excommunicationis latæ  
sententiæ.*

*Postmodum Synodus declarat, hujus  
Concilii translationem ad Mediolani civita-  
tem ad tempus factam urgentissimas ob caus-  
sas justam, rationabilem, legitimamque fuis-  
se, ad aliumque omnibus aptiorem locum de  
consensu duarum partium (\*) Synodaliū  
posse inde legitime transferri, quia vero  
summus Pontifex apud Ecclesiam Late-  
ranen-*

(\*) *Vide supra §. 31.*

ranensem aliud Concilium Romæ indixisse dicebatur, hinc Pisani Patres ejusdem con-  
 vocationem omnino nullam, atque irritam  
 pronunciant, *eo quod duo universalis Eccle-  
 siæ generalia Concilia eodem tempore simul  
 esse non possint, cum directe contradicat ar-  
 ticulo, qui unam tantum esse dicit san-  
 ctam, Catholicam, & Apostolicam Eccle-  
 siam; hinc anathematis sententiam ad-  
 versus omnes, qui Romano Concilio ad-  
 hærent, fulminant, declarantque, quod  
 Pontifici, eo quod intra triginta dierum ter-  
 minum eidem concessum nullum locum pro ce-  
 lebrando Concilio nominasset, ejusmodi loci  
 electio ulterius non competat, sed in eadem  
 Synodo resideat.*

Sæcul. XVI.  
 A. C. 1512.

Denique Pisani per aliud Decretum  
 Maximilianum Romanorum Imperatorem &  
 Ludovicum XII. Galliarum Regem, ex  
 quorum instinctu hoc Concilium fuit celebra-  
 tum, in Synodi protectionem suscipiunt, ac  
 complectuntur, necnon eos eorumque regna  
 defendere promittunt contra omnes censuras,  
 excommunicationes, atque interdicta, quæ  
 Julius Papa adversus illos promulgare pos-  
 set. Cum vero cernerent, quod Pontifex  
 spretis tot tantisque humilibus supplicati-  
 onibus, benignis monitionibus, justisque requisi-  
 tionibus semper tamen in sua repulsa persi-  
 stat, atque iteratas Ecclesiæ voces obaudire  
 renuat; ideo per aliud Decretum eidem

U 5

in-

**Sæcul. XVI** injungunt, ut *omnia contra hoc Concilium A.C. 1512.* attentata intra viginti quatuor dies nulla de-  
 claret, si vero elapso hoc termino non satis-  
 fecerit, contra eum pœnarum rigore proce-  
 dendum minantur, ut vero suam agendi  
 rationem honestarent, allegabant decre-  
 ta Sessiois V. ex Constantiensi, & Sessio-  
 nis undecimæ statuta ex Concilio Basi-  
 leensi. Ultimo tandem hujus Decreti pu-  
 blicationem jubebant fieri per affixionem in  
 valvis Cathedralium Mediolanensis ac Flo-  
 rentinæ Ecclesiarum, eo quod ad ipsum Pa-  
 pam Romæ tutus non pateret accessus; hæc  
 tamen publicatio ita sufficeret, ac si idem Pa-  
 pa personaliter requisitus fuisset, cum non  
 sit verisimile hæc non debere ad ejus notitiam  
 confestim evolare, quæ tam potenter omnibus  
 innotescunt.

## §. LXXV.

*Fœderatorum Principum exercitus  
in castris.*

*Guice. l. 10.* **H**is omnibus ita Mediolani dispositis,  
*Maria. l. 30.* Papa parando bello intentus erat,  
*n. 28. 29. &* donec Concilium suum, quod nonnisi ad  
*30.* proximum mensem Majum indixerat, ip-  
 se celebrare possiet: Interim vero totus  
 Principum Fœderatorum exercitus ineun-  
 te mense Januario in aciem processit, du-  
 ctore Raymundo Cardonna Neapolitano  
 Prorege. Erant hæc copiæ mille octin-  
 genti

Sæcul XVI.  
A.C. 1512.

genti Caraphracti, mille sexcenti levioris armaturæ equites, peditum Italarum octo millia, totidemque Hispanorum, qui non ita pridem Bastidem de Genivoio vi occuparunt, ac jussu Petri Navarræ, qui hisce copiis præerat, præsidarios milites una omnes jugularunt; paucis vero post diebus Ferrariæ Dux cum urbem recuperasset, omnes quoque Hispanos, qui eam tuebantur, necem suorum viturus trucidari præcepit. Equidem Petrus Navarra tot generosos milites cruentæ huic cædi ultro exposuisse incusabatur, nec tamen culpam a se amoliri sollicitus, demum Forolivii copias suas Foederatis adjunxit. Ceterum Papa Urbinatis Ducem Apostolicæ Sedis exercitui præfici peroptabat, Dux vero, cum Proregi Neapolitano, qui supremum imperium tenebat, cedere renueret, castris excessit; quadam enim foederis lege cautum erat, ut Prorex non modo Pontificis, sed etiam Venetorum copiis præficeretur; interea autem Urbinatis Ducis absentia Cardinalis Medicæi sortem auxit; creatus est enim Pontificii exercitus Dux ejusque imperio subjiciebantur Antonius Columna, Joannes Vitellius, Balionius, & Raphael de Pazzis.

§. LXXVI.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1512.

§. LXXVI.

*Bononia a Fœderatis obsessa.*

*Marian. l. c.*  
*Raynald. hoc*  
*an. n 5.*  
*Sigonius l 5.*  
*de Epif. Bon.*

Tandem die decima septima Januarii Fœderati, junctis Papæ copiis, Bononiæ obsidionem moluntur. Hæc urbs parum munita erat, nec mœnia aliis propugnaculis, quam veteribus turribus firmabantur; Bentivolius enim, cum illam Pontifici eripuisset, arcem solo æquari jussit, id postulante populo; præterea nonnisi quædam collectitiæ copię, necnon bis mille pedites Germani Gallorum stipendia merentes, ac nonnullæ legiones ad militiæ leges compositæ urbem tuebantur, quibus Lautrecus, & Ivo Alegrius imperabant: Cuncti tamen præfidiarii spem suam præcipue repositam habebant in Gastone Fuxo, cujus auxilia præstolabantur.

§. LXXVII.

*Gasto Fuxus latis suppetiis urbem ingressus.*

Nec inanis erat eorum fiducia; quippe Gasto, cum Venetos in Brixiam irruptionem moliri, hancque urbem a Ludensi Comite resistendo impare defendi comperisset, exercitus sui robur eidem admovere, validasque suppetias ductore  
Pre-

Precyo Alegrio mittere decrevit, nec ir- Sæcul. XVI.  
 rito successu; Precyus enim tam prospe- A.C. 1512.  
 re per devia agmen suum ducebat, ut  
 absque unius militis dispendio civitatem  
 ingrederetur; interea etiam Fuxensis nun-  
 tium accepit, quod Veneti successu fru-  
 strati, trajecto Athesis fluvio pedem re-  
 tulerint, veriti, ne graviori discrimini copias  
 suas exponerent, quibus tamen ad tuendas  
 urbes suas ipsimet indigerent, ideo Fuxen-  
 sis Bononiam contendere statuit. Ergo  
 motis ad Vesperam castris Finario profi-  
 ciscitur, nihil remorante totius exerci-  
 tus sui alacritatem asperrima coeli  
 temperie, ac densissima nivium procella,  
 quæ tanto ventorum impetu quaquaver-  
 sum jactabatur, ut tam hominibus, quam  
 equis fere omne cessaret oculorum offi-  
 cium, cumque nives vix calcatae frigo-  
 re concreverent, pedites fallente quovis  
 passu in terram corruerent.

Ceterum Gasto Fuxensis exercitum Guicci. l. 10.  
 ducebat mille trecentis Lanceariis, pe- n. 3.  
 ditumque quatuordecim millibus vali- Maria. l. 30.  
 dum, compertoque ejus adventu Car- n. 30.  
 donna Bellidux, subductis quibusdam  
 ex acie legionibus, Fabricium Colum-  
 nam eo, quo Galli penetrare possent,  
 præmisit, ut eis aditum urbis interclu-  
 deret. Nihilominus tam secundum erat  
 Gastonis iter, ut hostibus nequidem ad-  
 ven-

Sæcul. XVI. A C. 1512. ventantem advertentibus, ipse die quinta Februarii versus nonam diei horam matutino tempore urbem ingressus esset: Cardonna vero reliquum diei spatium militibus suis ad reparandas vires indulgens, expeditionis labores ad alteram diem remisit. Equidem is peroptabat, ut suus adventus hostibus incognitus esset, eventu tamen fortuito prodebatur: Eques enim Epirota leviter armatus, qui Gallorum signa sequebatur, urbe egrediebatur Cardonnæ castra lustraturus; verum captus ad Ducem abducitur, a quo de obsessorum statu interrogatus respondit, adhuc nihil eorum scio, nam hesternam primum die adveni; cum vero ex eo quæreretur, quem itineris comitem habuisset, reposuit, se unacum Gallorum exercitu adventasse. Ergo Cardonna exploratores mittit, rei veritatem indagaturos, cum itaque hi verbo fidem constare affirmarent, seria suscipiendi consilii deliberatio obsidentes tenuit.

## §. LXXVIII.

*Obsidentes de Bonnonicæ obsidione dubii.*

Tandem vero, post varia consilia incassum proposita, illud præplacuit, quo conventum, ut solido triduo, si fors Gasto prælii discrimen tentaret, copiæ ad pugnam

pugnam instructæ persistent, & Fabri- Sæcul. XVI.  
tius Columna cum tertia equitum pedi- A. C. 1512.  
tumque parte ad Renonis pontem proce-  
dat, ibique aggeribus, fossisque castra  
muniat, ac tamdiu Gallorum iter retar- Guicc. l. 10.  
det, donec eis exercitus occurrere pos-  
set, interea vero ex quavis centuria ex-  
trahantur milites, qui hinc urbem obsi-  
derent, illinc cuniculos agerent, ac de-  
mum fossoribus opus absolventibus Co-  
lonna revocaretur ad castra, totusque ex-  
ercitus in duo agmina divisus, omni ex  
parte affultum in Bononiæ urbem face-  
ret, donec expugnata esset.

## §. LXXIX.

*Cardinalis Medicæus de Hispanorum  
cunctatione conquestus.*

Cum vero Cardinalis Medicæus intel-  
ligeret, decretum esse, ut Bononia  
toto armorum apparatu invaderetur,  
haud diffiteor inquit: „ Oculorum meo-  
rum acies hebetata est, nec tamen  
usque adeo, ut Hispanorum artes per-  
spicere haud possim; satis compertum  
habeo, Cardonnam & Navarram uni-  
ce intentos esse, ut bellum ipsis sum-  
me proficuum cum dispendio cetero-  
rum foederatorum protrahant, eo con-  
silio, ut Sedes Apostolica, Veneti-  
que ærario, viribusque exhausti, sese  
„ Regis



Sæcul. XVI „ Regis Catholici arbitrio relinquere  
A.C. 1512. „ compellerentur; enimvero Fœderati  
 „ copias suas urbi Bononiensi admove-  
 „ runt, Cardonna etiam eam expugna-  
 „ tum iri fidem dedit, Navarra quoque  
 „ se urbem evoluta viginti quatuor ho-  
 „ rarum spatio Pontifici redditurum ja-  
 „ stitavit, Julius quoque singulis diebus  
 „ cursores ad castra transmisit, rei suc-  
 „ cessum exploraturos, isti tamen sem-  
 „ per Pontificem quæsitis excusationibus  
 „ detinuerunt, jam vero ego ultra mihi  
 „ vanis istis lenociniis illudi haud pa-  
 „ tiar. „ Ad hæc Prorex morositate Na-  
 „ tioni suæ propria respondit: „ Ecclesia-  
 „ sticæ conditionis Viris nulla alia sit sol-  
 „ licitudo, quam ut pro felici expeditio-  
 „ nis eorum gratia susceptæ successu fer-  
 „ vidas ad Deum preces fundant; de ce-  
 „ tero rem gladio dirimere, militibus re-  
 „ linquant, equidem præ omnibus Ec-  
 „ clesiastici ad bella denuncianda prom-  
 „ ptissimi sunt, eaque tamen vix cæpta  
 „ jam peracta vellent; præterea Julius  
 „ Regem Catholicum sollicitavit, eum-  
 „ que fœderi, cujus successus anceps est,  
 „ involvit, nunc etiam Hispanos suo mo-  
 „ do agere permittat. „ Obmutuit Car-  
 „ dinalis: Cardonna vero aliquot adhuc  
 „ dies studiose flexuosas obsidionis fossas  
 „ ducere cunctabatur, ne Medicæi expro-  
 „ bratione stimulatus, opus maturare vide-  
 „ retur.

retur. Tandem autem consilium mox <sup>Sæcul. XVI.</sup> <sub>A.C. 1512.</sub> propositum effectui dare cæpit.

§. LXXX.

*Affultum rupto cuniculo tentandi consilium.*

Itaque Cardonna tormentorum, quæ in <sup>Guic. l. 10.</sup> Romandiola erant, curam in se suscepit; Navarrus vero prope Castellionensem <sup>Paul. Jov.</sup> portam Castrensis operæ furnos suffodere jussit, ut ea ex parte, in qua erat Sacellum, cuniculus sub muro ageretur. Vingtiquatuor horas obsidentium labor tenebat, & jamjam muri ruina sexaginta perticis ampla, ultraquam ad affultum opus esset, patebat; nec tamen Fœderati in urbem irruptionem tentabant, cuniculum penitus absolvi præstolantes, eo fine, ut eodem tempore in duos ordines distributi ex una parte, quam tormentorum vis aperiebat, ex altera vero, qua cuniculus mœnia nudaret, civitatem invaderent, spe freti, præsidiarios, nequidem expectato affultu, deditioem facturos. Igitur de signo conventum, quo dato ruptoque cuniculo mox milites per muri ruinas penetrarent: revocatum etiam fuit expeditum illud agmen, quo Columna Renonis pontem tuebatur, ut totum exercitus robur in urbis excidium intentum esset. Ipse Navarrus cuniculo

*Hist. Eccles. Tom. XXXII. X ignem*

Sæcul. XVI. ignem subjecit, ubi non minus amplam,  
 A. C. 1512. ac erat illa prius tormenti ictibus disje-  
 cta, muri partem pulveris tormentarii  
*Marian. lib.* vis in sublime extulit. Ast hæc ipsa tam  
 30. n. 30. directo lapsu deorsum in eundem locum  
*Raynald. ad* recidit, ut nunquam avulsa crederetur,  
 ann. 1512. quod Bononienses velut rem supra natu-  
 1177. 5. ræ vim, ac ordinem admirabantur, hoc-  
 que casu obsidentes territi assultum dif-  
 ferebant, donec alia ex parte cuniculi  
 acti fuissent; omnes tamen eorum cona-  
 tus in irritum cecidere.

## §. LXXXI.

*Fœderati soluta obsidione recedentes.*

*Marian. lib.* Interea Fœderati, quamvis viribus su-  
 30. n. 30. periores, de sua tamen salute solliciti,  
 coacto belli Senatu decreverunt, quod  
 turbidæ tempestatis beneficio tormenta  
 abducerentur, atque unacum sarcinis  
 præmitterentur, demum vero ad primas  
 noctis tenebras ipse quoque exercitus in-  
 sequeretur. Hoc consilium tanta celeri-  
 tate, tamque alto silentio effectui datum,  
 ut Gallorum Duci fugæ notitiam sero ni-  
 mis accipienti nil reliquum esset, quam  
 ut equites suos, qui fugienti ultimo ag-  
 mini insisterent, emitteret, exiguo ta-  
 men hostium dispendio; hi enim nonnisi  
 triginta circiter currus hosti eripere, pau-  
 cosque milites capere poterant. Recesse-  
 rant

rant autem Fœderati septima Februarii, Sæcul. XVI.  
 undevicesima abhinc die, qua urbem ob- A.C. 1512.  
 sidere cæperant.

## §. LXXXII.

*Brixia a Venetis capta.*

Præterea ereptæ victoriæ dolorem, quem Gasto Fuxensis Nemorsii Dux conceperat, non parum augebat fatalis nuncius, quo compererat, Venetos die quarta Februarii pridie, quam ipse Bononiam intrasset, Brixiam occupasse, atque ipsius absentia fretos consilium, quod dudum agitassent, effectui dedisse, ipsamque etiam arcem, quæ adhucdum Gallis parebat, armis invadere paratissimos esse, eoquod hujus urbis cives Gallorum dominatum vel maxime pertæsi, secreta cum Venetis commercia foverent, insuper Ludovicus Comes de Avogaro Nobilis Brixienfis Gritto pollicitus erat, se Reipublicæ dominio urbem, quæ patrium ipsius solum esset, redditurum: hinc Gritus Bellidux eo exercitum suum admove-re jubebatur, qui etiam summa solertia usus, Athesin, ac Mincium trajecit, Gallis equitibus ad utriusque fluminis custodiam positis nequidem hostem advertentibus, quo facto Gritus Castanedo-*Marian. lib. 30. n. 34.* lum, urbem a Brixia quinto lapide distans contendit, demum nocte appetente

Sæcul. XVI.  
A.C. 1512.

inde profectus, præstituto tempore ante urbis portam sibi designatam substitit. Ast Ludanus conjurationem edoctus, tam solerter cives a portarum accessu arcebat, ut nemine tumultum ciente Grittus rursus Athesim transire, ac Montaniam repetere compelleretur, eum comitante Avogaro Comite, cujus Filius captus, Brixiam deductus est. Nihilominus Galli conjuratorum potentiae cedere cogebantur; hi enim cum Ludanum suppetiis destitui intelligerent, Venetorum copias revocarunt, quæ scalis ad tres urbis partes applicatis introductæ fuerant: Ludanus vero cum copiis suis ad arcem confugerat. Postmodum recuperata Brixia, Bergomum, ac potissimæ urbes a Gallis captæ, Venetorum imperio sese subjecerunt, eosque apertis ultro januis exceperunt.

§. LXXXIII.

*Fuxensis Bononia profectus, Brixiam recuperare molitus.*

*Marian. lib. 30. n. 34.*  
*Guicc. l. 10.*  
*Buonacurs. in Diar.*

Quamprimum Gasto Fuxensis per nuntium a Ludano Comite missum Venetorum irruptionem intellexerat, securitati Bononiensis urbis consulturus, ibidem trecentos lancearios, peditumque quatuor millia sub Duce Lautrecco reliquit, ipse vero inde profectus eodem die  
 Stella-

Stellatam pervenit, nec nivibus, nec gelididis, hisque assiduis nebulis itineris contentionem remorantibus; demum centum quinquaginta lancearios, ac quingentos pedites ab exercitu suo sejunctos Ferrariensi urbi imposuit, ne Fœderati ejus absentia in rem suam versa, civitatem ex insidiis caperent; ipse vero ad Molendini pontem progressus, Mantuanam ditionem pertransiit, cum vero a Mantuano Duce transitus veniam petere neglexisset, hic palam conquestus est, nihilominus tamen Fuxus, postquam Balionem Veneti exercitus Præfectum apud *Turrin-scalæ* substituisse compererat, absente cælo sese eo contulit, nec tamen Balionem reperit, utpote qui ante duas horas castris inde motis discesserat, de novo copias suas Gritto juncturus.

Sæcul. XVI.

A.C. 1512.

*Petr. Delph. f. 10. epist. 58.*

## §. LXXXIV.

*Venetorum exercitus sub Duce Balione cæsus.*

Grittus recta Alberæ pontem petiit, Athesim trajecturus; ast cum Brixiâ contenderet, Gasto eum aggreditur, atque in Balionem tanto impetu irruit, ut is fugam cum suis copiis Athesim versus capeffere compelleretur, aliis suorum, iisque fortissimis qua cæsis, qua vulneratis. Capti fuere Rangonius Comes,

X 8

&amp;

Sæcul. XVI. & Balthasar Urfinus, peditesque Veneti nulla ope suffulti, positis armis victorum arbitrio sese reliquere. Porro Gasto his vitæ veniam dedit, fugitivos vero usque ad Athesis litora insecutus est, ubi flumen trajecturi una omnes aquis hausti sunt, solo Balione, cum is equo veheretur, adversam fluminis oram feliciter attingente.

## §. LXXXV.

*Gastonis Brixiam delati apparatus ad prælium ibidem committendum*

Delibutis hisce victoriæ auspiciis, Galli iter Brixiam versus prosequuntur, atque in media via expeditam Venetorum manum cædunt, ipsumque Maleagrium Foro-Liviensem, qui ei præerat, cum pluribus aliis capiunt. Tandem Gasto, emensis intra novem dierum spatium plusquam quinquaginta milliaribus Gallicis, mense Februario, ac iniquissima cœli temperie ad locum haud procul a Brixia distitum pervenit, ubi præprimis S. Fridiani Monasterium, quod recta *Terræ-longæ* portam respicit, vi occupavit, nec quieti spacium indulfit, donec urbem expugnasset, quam postera etiam die ad deditionem provocavit, omnium præteritorum oblivionem pollicitus, si eadem die Brixiani in obsequium Gallo-

Gallorum redirent, Venetosque Magi-  
 stratus traderent. Ast illi ejusmodi peti-  
 tum nonnisi contumeliosis jocis in Re-  
 gem, Gastonem, Gallicamque nationem  
 effusis excipiebant, qua injuria Gasto ma-  
 gis magisque concitatus, altera die co-  
 pias suas urbis turri admovit, positisque  
 ad portam S. Faustinae castris, gravi ora-  
 tione suos allocutus ajebat: „ Brixiam  
 „ aspiciate, urbem illam opulentia cele-  
 „ berrimam, ac facilis victoriæ præmi-  
 „ um, vos quidem macti virtute estote,  
 „ ac proxima opimæ prædæ spes vos alli-  
 „ ciat, vestrumque ardorem accendat. „  
 His dictis, moxque dato ad pugnam si-  
 gno mille quingentos sclopetarios, quos  
 Veneti ad tuendum propugnaculum ex-  
 posuerant, una omnes ferro trucidavit.  
 Pertinax utrinque, cruentumque initur  
 prælium, jamque mutua cædis immani-  
 tas in quintam omnino horam effluebat,  
 Gastone interim aut accelerandæ, aut  
 perficiendæ victoriæ primas partes a-  
 gente.

## §. LXXXVI.

*Venetorum clades, Brixia occupata.*

Demum cæso Venetorum exercitu, su-  
 peratisque omnibus vallis Gasto to-  
 tus in eo erat, ut Brixiam quoque ar-  
 mis suis subjiceret: Ergo copiis suis mox  
 in duo agmina divisus, ipse cum uno

X 4

per



Sæcul. XVI. A.C. 1512 per viam breviorē civitatem versus progreditur, alterum vero ductore Paliceo ad adversam, ubi arcior erat urbis situs, partem emittit, statimque binos ausultus tentat, atque utramque irruptionem pari impetu exequitur, murisque superatis, in quavis platea novo certamine per dimicantium acies erumpere cogitur, tanta Venetorum ac Brixientium pertinacia, ut hi vitæ veniam obtinere desperantes nequidem victorum clementiam exorarent. Capti sunt Grittus Justinianus, qui duobus abhinc diebus Brixiam venerat, necnon Manfronius, cum quibusdam aliis sese Gallorum arbitrio permittentibus, quos inter Avogarus quoque cum duobus filiis suis numerabatur; denique urbs opum abundantia præ omnibus Longobardiæ urbibus, excepto Mediolano, longe felicissima, solidis septem diebus deprædantium militum furori exponebatur; Grittus vero jure belli captus habebatur, Avogarus autem proditor eodem temporis puncto, ejus vero duo filii paucis post diebus cum præcipuis seditionis motæ sociis jussu Gastonis capite plectebantur. Varia est Scriptorum opinio de cæsorū numero; alii enim Venetorum viginti millia & amplius numerant; Itali vero Historici nonnisi decem circiter millia recensent.

*Mocenigo*  
l. 4.

Hic

Hic fuit exitus expeditionis, quam Sæcul. XVI.  
A.C. 1512. Gasto Fuxensis susceperat, qui intra quindecim dierum spacium fortissimorum Belliducum experientiam elusit, Bononiam ab exercitu viribus suis longe superiore obsessam liberavit, aeris injuriam superavit, expedita Venetorum agmina interceptit, dissipatisque eorum indigenis militibus totum exercitum prælio vicit, ac Brixiam munitissimam continentis urbem unacum eorum Belliduce cepit. Jam omnium sententia erat, tam secunda armorum auspicia continuatæ felicitatis auguria fore, totumque Fœderatorum exercitum a Gastone penitus deletum iri, demum hunc Victorem Romam perecturum, ut Julii Papæ odium, quod in Gallos exerebat, plecteret, eoque exaucto rato novum Papam eligi curaret; addebant alii, Gastonem quoque Roma Neapolin usque, cujus regni dominium Ludovicus Rex affectabat, victricia sua arma protensurum, Hispanosque castigaturum.

## §. LXXXVII.

*Henricus VIII. Gallorum hostis.*

Attamen Fœderati hisce adversantis fortunæ injuriis adeo non animo frangebantur, ut eorum etiam societas novis viribus potenter cresceret; Florentini

Sæcul. XVI. tini enim Regis Christianissimi amicitia  
 A.C. 1512 nuncium mittebant, necnon proximam  
 irruptionem minitabantur Helvetii, nil-  
 que propius erat, quam ut Henricus  
 VIII. Angliæ Rex rupto cum Gallis fœ-  
 Gnice. l. 10. dere bellum nunciaret, Fœderatisque  
 Paul. diacon. adhæreret. Huic quoque, ut eum ad  
 de gestis Lon- suas partes alliceret, Julius prægrandem  
 gob. l. x. c. 5. submisit navem, vinis generosissimis, ca-  
 feis, carnibusque conditis onustam: præ-  
 terea quidquid delicatius, unctiusque  
 Italica tellus profert, eidem transmisit.  
 Advenerant hæc munera eo temporis  
 momento, quo Regii Senatus Sessioni-  
 bus initium dabatur, placuitque tanto-  
 pere Anglis Papæ benevolentia, ut eun-  
 dem sibi obsequiis demereri, unice inten-  
 ti essent. Auxit quoque Anglorum pro-  
 pensum in Papam animum Murnayensis  
 Episcopus, qui purpuram, ad quam ad-  
 spirabat, promeriturus, tam gravibus  
 rationum momentis Pontificis causæ pa-  
 trocinabatur, ut felici verborum suorum  
 successu Angli decernerent, quod Regni  
 Præsules Romam ad Lateranense Conci-  
 lium mittendi forent, atque Pontifex om-  
 nino adversus Ludovicum, quem Episco-  
 pus Schismaticum appellabat, protegen-  
 dus esset; unde Galliæ Legatus mox ex  
 Anglia excedere jubebatur.

§. LXXXVIII.

## §. LXXXVIII.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1512.*Pontificis diploma hac super re ad Henricum Angliæ Regem.*

Nec segnius erat Ferdinandi Regis studium, quo Henricum ad bellum Gallis nunciandum incitabat, exponens, quod Ecclesiæ salus bellum deposceret, proin jungendæ sint vires, ut Sedis Apostolicæ auctoritas defenderetur, totoque conatu in id incumbendum, ut Pisano-  
rum Conciliabulum dissiparetur; præterea Rex Catholicus Henrico spem fecerat, fore, ut occasionis hujus opportunitate Aquitanniam, quam Galli Angliæ Regibus Prædecessoribus suis eripuissent, facile recuperaturus esset. Tam amplæ Provincie spes non modo proficua, sed etiam regni auspiciis adeo gloriosa videbatur, ut Henricus haud cunctanter fœderi a Papa, Ferdinando, Venetisque sancito nomen daret: Hæc igitur genuina fuit ratio, quæ Anglos ad violandam pacem nuper cum Gallis initam impellebat. Ceterum Henricus durante Senatus sui Sessione literas accepit, quibus Papa, ut Regem ad bellum adversus Franciam strenue urgendum animaret, cunctis ejus subditis aut per se, aut per sua bona opem laturis plenam pœnarum condonationem indulgit.

*Marian. lib.*

30. n. 31.

*Raynald. ad*

an. 1512.

num. 90.

## §. LXXXIX.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1512.

§. LXXXIX.

                     *Gallis adversandi obtentus a Cæsare  
                    quæsitus.*

**H**is interea gestis Cæsar de fidei suæ constantia tam frequens Galliarum Regi suspicandi præbebat argumentum, ut non nisi necessitate compulsus, se adhucdum aliquam in eo fiduciam reponere simularet, nec se opinione sua deceptum fuisse, brevi cognoverat; postquam enim Andreas Burgius, quem ad Cæsaris aulam ablegaverat, rediisset, Rex ab *Guic. l. 10.* eo haud obscure edocebatur, nullum sibi ultra in Maximiliano præsidium repositum esse; Cæsar enim, quod Ludovico parum faveret, tot argumentis comprobatum reddebat, ut nullus dubitandi locus superesset. Equidem tamdiu moderationis limites non excefferat, quamdiu Pontificis potentiam viribus inferiorem experiebatur; postquam vero compererat, quod Papa Hispaniam, Angliam, Venetos, pluresque Italiæ Principes ad suas partes dextre pertraxisset, & ipse unice intentus erat, ut sub honesto prætextu a Gallorum societate deficere posset: nec deerat illi occasio; quippe cum ex Cameracensi foedere nullum ipsi commodum accreturum, eoquod Galli, Hispani & Papa omnes urbes a Venetis occupatas

tas sibi denuo assererent, tresque urbes, Sæcul. XVI. A.C. 1512.  
 in quas ei jus compete-  
 bat, Trivisium nempe & Patavium adhucdum Venetis  
 parerent, Veronam autem pignoris loco  
 cedere a Galliarum Rege compelleretur,  
 Cæsar hac de re graviter conquestus, Lu-  
 dovicum ad tam duras condiciones ad-  
 stringere statuit, ut etsi plurimum prælio-  
 rum victor exstitisset, asperiores leges ei-  
 dem dictare haud valuisset.

## §. XC.

*Immodicæ postulationes Cæsaris ad  
Galliarum Regem.*

Quippe Maximilianus a Gallorum Re-  
 ge postulabat: I. Suis expensis Pa-  
 tavium, Tarvisium, ceterasque Conti-  
 nentis urbes Imperio rursus jungendas,  
 expugnaret, easque Cæsaris dominio  
 traderet; II. Ludovicus Renatam de  
 Francia filiam suam secundo genitam vix  
 biennem Ferdinando Imperatoris Nepo-  
 ti, ac Caroli Archiducis fratri natu mi-  
 nori Sponsam concederet, eidemque,  
 dotis nomine, Burgundiæ Ducatum,  
 hucusque Gallico regno conjunctum ce-  
 deret, moxque Renatam ad Cæsaris au-  
 lam ibidem, usque dum Viro matura es-  
 set, educandam transmitteret; III. Ma-  
 ximilianus arbiter seligeretur triplicis il-  
 lius controversiæ Franciam inter & Se-  
 dem

Sæcul. XVI. dem Apostolicam motæ, nimirum de  
A. C. 1512. unienda Ferraria, & recuperanda Bono-  
 nia, ac de Pisani Concilii auctoritate; in  
 his vero rebus Cæsaris iudicio staretur; IV.  
 Gasto Fuxensis nullam urbem oppugna-  
 ret, nec quicquam gravioris momenti ag-  
 grederetur, absque consensu cujusdam  
 Principis Germani, qui eidem tanquam  
 consilii sui caput adjungeretur; denique  
 V. Gallis nihil eorum, quæ in Italia oc-  
 cupaturi essent, pro se retinere, aut ul-  
 tra ea, quæ in Mediolani Ducatu, ac  
 Venetorum Continenti possiderent, Im-  
 perii sui limites protendere liceret. Ha-  
 rum propositionum insolentia amicitiam  
 solvendi animum satis manifeste prode-  
 bat, quamvis Cæsar inviolabilem Came-  
 racensis foederis fidem profiteri videretur;  
 nihilominus Ludovicus, ne ipse quæsi-  
 to obtentui suffragaretur, Maximiliano  
 quinquaginta aureorum millia submisit, ac  
 præsidia urbium, quas in Continenti ad-  
 huc tenebat, duobus lanceariis pedi-  
 tumque tribus millibus auxit, interea ve-  
 ro eidem respondere distulit, donec de  
 novi foederis cum Helvetiis successu edo-  
 ceretur.

## §. XCI.

*Ludovicus Helvetios a Papæ obsequio  
 abstrahere, incassum conatus.*

**L**udovicus Helvetios Gallorum studiis  
 rursus

rursum devovendi negotium dedit Lanoyo Ambianensi Principi, qui literis argentariis sat copiosis munitus, ad Baudensem congressum venit, ejusque præcipuis membris multo auro corruptis amplissima obtulit promissa, ut Helvetiorum pagos ad Gallorum partes revocaret; Sedunensis vero Cardinalis tam valide cuncta Lanoyi consilia evertit, ut Helvetii sacræ Sedi nunquam violanda fide additi permanerent, ac nullo pacto a Fœderatorum societate avelli paterentur, imo iisdem quoque promitterent, se ad augendas eorum copias mox sex armatorum millia submissuros. Denique Lanoyus haud plus impetrare poterat, quam ut illos, qui annua a Rege stipendia perceperant, ad differendam fœderis executionem per aliquod tempus induceret, idque Gallis salutis fuit; hac enim de causa sex illa Helvetiorum millia nonnisi post Ravennatense prælium Papæ, Fœderatorumque copiis accesserant.

## §. XCII.

*Florentini Fœdus cum Gallis innovare renuentes.*

Præterea Florentini, Synodo Pisis Mediolanum translata, in dies fidem suam Gallis magis suspectam reddebant; cum enim aliquot post menses fœdus inter

Sæcul. XVI.

A C. 1512.

Raynald. ad

ann. 1512.

n. 27.



Sæcul. XVI.  
A.C. 1512. ter eos, Gallosque initum expiraret, & Ludovicus illud innovare percuperet, a suis Amicis nuncium accepit, Florentinos huic consilio graviter oblectari; eoquod Pontificis benevolentia devicti, ac non ita pridem ab anathemate censurisque, quibus ob præstitum Pisanis Conciliaribus favorem irretiti erant, soluti fuissent; insuper nuntiatum erat, quod Papa ad eos velut Sedis Apostolicæ Internuncium misisset Joannem Gozzadinum Cameræ Clericum, qui eos Pontificiæ gratiæ certos redderet, illisque gratularetur, quod Pisanum conciliabulum a sua ditione expulissent. Hunc ipsum Gozzadinum comitabatur Franciscus Guicciardinus Pro-Regis Neapolitani Procurator, quorum uterque Florentinos a prorogando cum Gallis foedere avertere omni ope & opera adlaborabat. Valuit etiam successus, eorum tamen suasu Florentini neutri parti adhærere decernebant.

## §. XCIII.

*Fuxensis Fœderatorum copias aggredi, a Rege iussus.*

Igitur nonnisi Ferrariæ Dux, ac Bentivolii in Gallorum fide persistere; verum hi adversus tam potentes hostes prorsus infirmi armorum focii erant, qui potius ad attenuendas, quam augendas  
Ludo-

Ludovici vires idonei videbantur; quapropter Rex, cum in Foederibus sanc-  
 endis opem desperaret, simulque longiori mora sese conjungendi, suaque consilia excoquendi spacium hostibus suis concedi intelligeret, consultius judicabat, prompto certamine, ex quo cetera penderent, rem dirimere. Unde Gastoni negotium dedit, ut hostem provocaret, ac Papæ, Regisque Catholici copias data quacunque occasione profligaret; hanc in rem Rex novis suppetiis ex Francia missis exercitum suum auxit, qui mille sexcentos lancearios, quinque peditum Germanorum millia, regionum vero subditorum tredecim millia recensabat, cui Ferrariæ Dux cum ducentis cataphractis, validoque tormentorum apparatu proxime accessurus sperabatur. Advenerat quoque Sanseverinas Cardinalis nomine Pisani Concilii legatione functurus; quod officium Cardinalis Medicæus nomine Julii II. in Foederatorum exercitu obibat.

Sæcul. XVI.  
 A. C. 1512.

Porro Regis Ludovici mandata Gasto ad nutum exequabatur, ac Brescia profectus, Finarium in Mutinensi ditio-  
 ne situm pervenerat, eidemque in Bonniensi tractu ad S. Georgium Ferrariæ Dux sese adjunxit. Foederatorum exercitus numerabat mille nongentos cata-

*Hist. Eccles. Tom. XXXII. Y phra-*

Sæcul. XV.  
A.C. 1512.

phractos, ingentem equitum leviter armatorum numerum, peditumque viginti millia; hæ copię haud procul a Foroliviensibus mœniis castra tenebant tam valide munita, ut ea aggredi temerarium esset, præcipue cum illis nunquam excedere decrevissent; Ferdinandus enim disertis verbis jubebat, ne prælii discrimini ultro sese committerent.

§. XCIV.

*Prælium a Fœderatis declinatum.*

Hujus vero mandati rationem obtendebat Rex Catholicus, quod sinistro forte armorum successu Regem Anglię a fœdere, quod proxime firmaturus esset, avertere haud oporteret; Angli enim, inquietabat ipse, in Occidaniam, atque Aquitanniam irrumpere, atque Ludovici exercitum nova expeditione distrahere tentabunt, quo facto Rex Francię mediam partem copiarum, quibus Gasto præest, revocare, suumque exercitum diminuere compelletur; tum vero facilius Galli opprimi poterunt. Igitur appropinquantibus Gallis, Fœderati ad mœnia Fori-Corneliensis urbis sese receperunt: Gasto autem, ut eos castris suis excedere cogeret, exercitum suum in Romandiolam duxit, finxitque, se inde recta Romam iturum, aut demum ex Marchia Anco-

Anconitana in Neapolis regnum irruptionem tentaturum. Nec dolum eventus fefellit; quippe Prorex Neapolitanus ad castellum Bononiense castra sua posuit, dum interea Fuxensis Granarolam, Solaroli castrum, & Cotignolam occupabat, ut ad expeditam annonæ subvectionem liberum ad Ferrarienses aditum sibi panderet. Ceterum continuo inter hostium agmina progrediebatur; Foederati tamen viarum angustiis, ac fluminum ambitu sese adeo opportune tuebantur, ut certaminis discrimen declinarent.

Sæcul. XVI.

A. C. 1512.

## §. XCV.

*Induciae Imperatoris cum Venetis.*

Hæc dum interea gerebantur, Ferdinandus Ludovico bellum nunciavit, suumque legatum, qui in ejus aula agebat, protinus ex Francia abire jussit. Nihilominus hanc eandem belli denunciationem cuidam conditioni adstringebat, postulans, ut Ludovicus illatas Pontifici injurias modo, quo ipse peteret, resarciret, si vero id exequi diutius recusaret, Regi significabat, se ad arma vi coactum iri. Verum his Ferdinandi minis Rex non admodum terrebatur; subidem vero tempus eidem nunciatum, quod Maximilianus Cæsar conciliatore Hieronymo Vico, Regis Catholici Romæ legato,

*Marius. l. 3. n. 35.*

Sæcul. XVI.  
A. C. 1512. gato, non ita pridem cum Venetis decem Mensium inducias sanxisset, ea tamen lege, ut Respublica fidem daret, se Cæsareæ suæ Majestati certam pecuniarum summam numeraturam, quæ tamen damna a Venetis Imperio illata, nec indemnitate, quam Imperator sibi pollicebatur, minime æquabat. Hoc nuntio Rex Franciæ territus, vehementius urgebat, ut Gasto cum Cardonna manus confereret, priusquam Foederati Cæsaris defectionem in rem suam vertere possent.

## §. XCVI.

*Ravenna a Gastone obsessa.*

*Guic. lib. 10.*  
*Spond. ad*  
*hunc ann. n. 5* Gasto accepto Regis mandato Duces suos convocavit, eisque exposuit, Foederatos ad pugnam compellendos esse, eo quod nil consultius foret, quam urbem quamdam, de cujus salute plurimum eorum interesset, aggredi; quænam vero illa esset, diu deliberatum, tandem vero decretum, Ravennam expugnandam esse; huic enim civitati præ ceteris Papam mox succursurum, persuasum erat omnibus. Foederati explorato Gastonis consilio expeditam militum manum ductore Marco Antonio Columna urbi imponere tentarunt. Valuit etiam successus; quippe Columna die octava Aprilis Ravennam

vennam ingressus est, altera autem post hora Gasto eandem obsidere cæpit, prima vero castra posuit Montanam inter & Bedesin fluvios, qui ex Apeninis al-  
 pibus procurrentes vix non Ravennæ moenia alluunt, demumque media infra urbem leuca se conjungunt, portamque exhibent, eo situ, ut dextram Gallici exercitus aciem Bedesis, sinistram vero Montana clauderet, urbs vero utramque recta respiceret; ibi Gasto pontem Montanæ fluvio imposuit, mediamque exercitus partem trajicere jussit, castrisque trans flumen positis, ad fallendum hostem impressionem facere paravit; cum vero urbem, priusquam hostes in auxilium venirent, subigere meditaretur, structis duobus aggeribus tormenta imposuit, ac solidis viginti quatuor horis urbem continuis explosionibus verberavit, nec tamen viginti perticis ampliorem in muris hiatam aperuit, unde nonnisi superior moenium pars nudabatur: inferior autem ad senipedalem altitudinem intacta permanebat.

Sæcul. XVI  
 A.C. 1512.

§. XCVII.

*Ravenna assultu invasa.*

Cum vero Gallorum exercitus annonæ inopia jamjam laborare inciperet, eoquod Venetorum classis illius subve-

Sæcul. XVI  
A.C. 1512.

tionem præpediret, necnon Foederatorum copiae urbi suppetias laturae appropinquarent, hinc Gasto assultum tentare decrevit; quocirca ex quavis centuria decem cataphractos equis desilire iussit, & mille Gallos pedites selegit, totidemque Germanos, nec pauciores Italos atque hos omnes, cum moenia, quae transcendere oportebat, sex pedum altitudinem haberent, scalis instruxit, atque ad assultum eduxit; tres omnino horas immota utrinque tenuit dimicantium pertinacia, Gallicae quinque aut sex vicibus repulsi, toties prælium restaurarunt, donec tandem pedem referre compellerentur, selectioris militiae ducentis, aut ferme trecentis ante eversi muri ruinam misere trucidatis, quos inter Jacobus quoque Castillionæus de Coligni Parisiensis Praefectus, necnon Espinacius supremus rei tormentariae Locum-tenens numerabantur.

§. XCVIII.

*Gasto Foederatis pugnam offerre paratus.*

Altera die, cum Foederatorum copiae in aperto campo sese explicarent, ac nonnisi altero milliari a Gallorum castris Isapin inter & Bedesin abessent, Gasto nec amplius urbem tormentis quatere,  
nec

nec alteram irruptionem tentare, statuit, Sæcul. XVI.  
A C. 1512.  
 sed potius ex ipso hostium conspectu  
 territus, tormenta reducere decrevit, at-  
 que itinera æquari jussit, ut illa eo ex-  
 peditius inde abstrahi possent. Interea  
 vero Foederati ad Pinetense nemus,  
 quod a Ravenna usque ad mare excur-  
 rit, progressi tam sollicite castra sua mu-  
 niebant, & territorium quoddam vastissi-  
 mum perinde ac si Gallis numero longe  
 inferiores essent, fossa non minus lata,  
 quam profunda cingebant, suaque castra  
 undique includebant, ut ibidem tuto co-  
 pias in aciem instruere possent, hiatum  
 nonnisi viginti pedibus largum relinquen-  
 tes, ut exinde equitum turmas ad ex-  
 ploranda hostium molimina emittere va-  
 lerent. Altera die, quæ erat Paschatis  
 festum, undecima Aprilis hoc anno Gasto  
 albescente coelo totum exercitum Bede-  
 sin flumen trajicere jussit, relictis dunta-  
 xat mille peditibus, & lanceariis quin-  
 gentis, qui contra Ravennatensium præ-  
 sidiariorum eruptiones maxime obsidio-  
 nales fossas sub duce Alegrio tuerentur.  
 Postea Gasto toto agmine mox in aciem *Marian. lib.*  
 disposito, signa in hostem convertit, eo or-*30. n. 40.*  
 dine, ut exercitus tergo Ravennam  
 verso cavam lunam exhiberet, atque il-  
 lius cornua equitatus, mediam vero a-  
 ciem peditum agmina firmarent.



Sæcul. XV.  
A.C. 1512.

## §. XCIX.

*Utriusque exercitus ordo.*

*Guic. lib. 10*

**A**cies autem hoc modo stetit: Ferrariæ Dux, & Paliceus primo agmine usque ad fluvium explicato dextrum cornu tuebantur, in quo erant septingenti lancearii, peditumque Germanorum ferme quatuor, aut quinque millia. Postea Ludovicus Brezæus supremus Normanniæ Senescallus, & Sanseverinas Pisani Concilii Legatus mediæ aciei præerant, postremum vero agmen Fridericus Bozzolus ducebat: ad subitaneos vero prælii casus Gasto Fuxensis selectiores locaverat equitum copias, quæ etiam peditum tegerent, atque ad quosvis inopinatos eventus opportuno necessitatis præsidio accurrerent. Nil vero Fœderatorum res utilius promovisset, quam si Cardonna Gallis fluvii trajectum interclusisset, aciemque instructam tenuisset; ac re ipsa hoc consilium arripere debuisset, prout etiam provide Fabricius Columna Cardonnæ suaserat. Ast prævaluit Petri Navarri sententia, non tamen sine irreparabilis culpæ dispendio. Ceterum Columna in prima Fœderati exercitus acie octingentos cataphractos, sexcentos equites leviter armatos, & quatuor millia peditum habebat; reliquæ omnes  
copiæ

copiæ in duo duntaxat contrahebantur Sæcul. XV.  
 agmina, quorum uni Prorex Neapolita- A.C. 1512.  
 nus, alteri Navarrus imperabat. Utroque  
 exercitu sic instructo, Belliduces legio- Mariana  
 nes lustrabant, cunctosque ordines obe- l. 30. n. 40.  
 quitabant, ac milites suos ad pugnam Guicc. lib. 10.  
 accendebant, eisque animos addebant:  
 quinimo Scriptores Itali æque ac Hispani  
 Gastoni de Fuxo prolixum sermonem  
 ad suos milites attribuunt, omnesque  
 eloquentiæ fontes exhauriunt, totoque  
 ingenio vehuntur, ut amplissima Gastoni  
 verba accommodare valeant.

Jam in conspectu utraque acies erat,  
 utrinque certaminis avidissima, cum  
 Gasto copias suas, licet horrendæ hosti-  
 lium globorum tempestati expositæ essent,  
 duabus horis subsistere jubet, tormen-  
 torum suorum successum præstolaturus,  
 quæ in dextero cornu prope Bedesin loca-  
 verat: ea vero, cum exiguam hostibus  
 stragem inferrent, quantocius ad lævum  
 cornu transtulit, eorumque primis emis-  
 sionibus sinistra Fœderatorum peditum  
 acies prosternebatur. Nulla mora Fa-  
 bricius Columna & Piscarius Tribunum  
 ablegant, qui Cardonnæ significaret, quod  
 totum agmen, si diutius intra aggeres  
 hædere compelleretur, Gallorum tormen-  
 tis periret. Attamen Prorex haud fle-  
 cti poterat; interea vero Gallis denuo  
 Y 5 tor-

Sæcul. XVI. tormenta sua non sine magna Foederatorum strage explodentibus, tandem Columna, Piscarius, ceterique Duces inultam mortem ibi oppetere dolentes, ex suis aggeribus excedere cogebantur, invito licet Cardonna, qui tamen & ipse, ut horum cladem præpediret, illos quoque imitari compulsus est.

§. C.

*Pertinax utrinque pugna.*

*Rubeus l. 8.  
Guicc. l. 10.  
Nicol. Basel  
append. ad  
Chron.  
Naucler.*

Posthæc prælium ad belli leges instructum fuit initum, magisque exarsere utrinque dimicantium studia; Piscarius enim Marchio, ut Gallicorum tormentorum furorem averteret, equites suos leviter armatos eduxit, strictoque gladio in equestre Gallorum agmen toto impetu irruit, cataphracti vero collato utrinque pede primi cominus pugnam perturbatis licet ordinibus, neglectisque militaris disciplinæ legibus conseruere. Pugna varia, atrox erat, pertinax, & anceps, his atque illis sæpe exitialis, fortuna enim victoriam alternabat; tanto tamen furore uterque exercitus primum excipiebat impetum, ut quamplurimis ultro citroque cæsis, aliis majore adhuc numero vulneratis, non pauci ad pugnandum inhabiles redderentur: Equites quoque peditesque confuso agmine, ac pro-

promiscuo, mutuoque interitu desæviebant, & quasi singuli inter se dimicabant, pari utrinque fortitudinis ardore, atque æquali cædis aviditate; cum autem Galli equites Fœderatis numero superiores essent, hos a fronte urgebant, atque in transversa eorum latera irruebant, quamvis hostium repugnantiam expectatione majorem experti essent, tandem vero tanto furore, tantaque vincendi cupiditate in Fœderatos effundebantur, ut hi numero oppressi, cum omni ferme ex parte lacefferentur, & undique cincti essent, paulatim loco moti pedem referrent, atque non modo ordinibus, sed etiam cunctorum animis omnino turbatis, una omnes fuga dilaberentur, Piscario Marchione, cum in prælii ardore equum suum amisisset, a Gallis capto.

## §. CI.

*Gallorum agmen a peditibus Hispanis cæsum.*

Ceterum primo hoc prælii impetu Petrus Navarrus de statione sua minime discesserat; postquam vero Equitatum fusum fugatumque intellexerat, & ipse quoque periculum sibi proxime imminere ratus, Hispanos pedites, quibus præerat, in Gallos duxit, tantaque rabie in eorum legiones irruit, ut cunctis, quos

Sæcul. XVI.

A. C. 1512.

Sæcul. XVI. quos ei obvios infausta fors dederat, trucidatis, ceteros perruptis eorum ordinibus, eodem temporis puncto in fugam ageret. Hispani prospero pugnae successu animis erecti, haud impari fortitudine in Vascones, Italosque pedites irrumpebant, eosque vix edita pugna propulsabant, ac præcipiti fuga salutem quærere compellebant. Ast horrenda magis erat Germanorum perturbatio: hi enim ferme omnes gladio jugulati occubuerant; Galli equites hac cæde comperta, peditumque suorum fuga uno impetu in Hispanos effundebantur, tantoque furore eos invadebant, ut brevi communis inter hostes confusio esset, eorumque legiones perfringerentur. Tum vero similis ruinæ strages erat, jacebant in ipsa prælii acie quamplurimi Hispanorum Duces in ora proni; ipse quoque Petrus Navarrus in captivitatem abstrahatur; alia ex parte Alegrius quidem in quoddam agmen Italorum effusus, illud profligavit, ipse tamen cum quibusdam aliis vulneratus obiit.

## §. CII.

*Gasto Fuxensis Nemorsii Dux prælio occisus.*

**G**asto Fuxensis prospero hoc successu elatus, hostilis peditatus reliquias, quæ

quæ valido adhucdum agmine constabant, penitus delere, animo constituit; cum vero Palicius Gastonem sago undique sanguine tincto indutum conspiceret, vulnere affectum existimans, a restaurandi prælii consilio avertere omnibus viribus conabatur, eidemque exponebat, quod partæ gloriæ satur esset; cum generosos adeo milites, qui vitæ suæ ja-cturam nonnisi aliena cæde compensare assueti essent, ferocius laceffere, omnino temerarium sit. Ast Gasto prudentibus hisce consiliis, monitisque furdas præbebat aures, spretisque Palicii rationibus, primus ipse copias suas educens Hispanos rursus adoriebatur. Hi vero, cum hostem instare intelligerent, signa in eum convertebant, atque invicta animi virtute dimicabant, in quo prælio Gasto incautius, longiusque abreptus, equo suo dejiciebatur, eumque mox Hispanus, quem ipse vulneraverat, in terra supinum, latusque dextrum erigentem hasta sua transfixit, Ducemque tum non nisi viginti quatuor annos natum trucidavit. Hujus mortem Ludovicus Rex tam acerbò dolore planxit, ut Palicii epistolam, qua hic Ducis fatum significabat, perlegens exclamaret: *utinam Italiæ universæ jactura Gastonis Fuxensis Nepotis mei, totque strenuorum militum vitam redimere possem; similes victoriæ inimicis contingant.*

Incluy-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1512.

Cl. Seyffel &  
Joann.

Autum. hist.

Lud. XII.

Paul. Emil.

in Lud. XII.

Paul. Jov.

Guicc. l. 10.

Brantom.

elog. hom.

illust.

Hist. Ba-

gard. l. 52.

Marian. lib.

30. n. 42.

Sæcul. XVI.

A.C. 1512.

Inclytus ille Bellidux Joannis de Fu-  
 xo, Stamparum Comititis, ac Narbonæ  
 Vice-Comititis Filius erat. Matrem ha-  
 buit Mariam Aurelianensem, quæ Caro-  
 li Aureliæ Ducis filia, necnon Isabellæ  
 de Francia Ludovici XII. soror fuit. I-  
 dem a Rege Mediolani Governor, ac  
 supremus in Italia exercitus Imperator  
 nominabatur. Corpus ejus non tam fu-  
 nebri, quam triumphali pompa Mediola-  
 num deferebatur, ejusque exequias Me-  
 dicæus Cardinalis Julii II. Legatus, Pis-  
 cariae Marchio, & Petrus Navarrus co-  
 mitabantur, qui omnes tres prælio capti  
 pedestres, ac humili ornatu Gastonis  
 manibus parentabant. Cadaver ad la-  
 tus summi Altaris depositum est, ere-  
 ctumque trophæum vexillis ac devicto-  
 rum armis decoratum; Verum hæ exu-  
 viæ, hostiumque spolia paulo post ever-  
 suæ, postquam Galli exeunte hoc anno  
 e Mediolani Ducatu expellebantur. Se-  
 dunensis quoque Cardinalis Nemorsii  
 Ducis corpus ex Ecclesia Cathedrali pro-  
 jici, illudque clam in æde Sanctimonia-  
 lium D. Marthæ sepeliri jussit, eoquod  
 Ducem anathemate percussum, armaque  
 contra ipsam Sedem Apostolicam tum-  
 gerentem mors intercepisset. Tertio au-  
 tem post anno Gallis Mediolanum re-  
 versis denuo Gastoni solemne monumen-  
 tum erigebatur, quod tamen rursus ever-  
 sum

sum est. Hodiedum vero in muro cu- Sæcul. XVI.  
 jusdam areæ apud præfatas Moniales a A.C. 1512.  
 latere Ecclesiæ hujus Principis imago  
 impressa conspicitur.

## §. CIII.

*Galli parta victoria stationem in  
 acie tenent.*

Præterea Lautrecus penes Gastonis cor-  
 pus equo dejectus, multisque vulne-  
 ribus confectus, in prælii acie velut  
 exanimis relinquebatur; cum vero eun-  
 dem nonnulli in hoc miserabili statu re-  
 perirent, postquam ultimam Hispano-  
 rum agmen sese receperat, illum adhuc-  
 dum spirantem cernebant, unde illum ad  
 castra deferebant, imo ea etiam corpo-  
 ris agitatione Lautrecus linquentem ani-  
 mam revocabat, ac diuturno morbo  
 pressus, tandem pristinam valetudinem  
 recuperabat, relicto haud alio infortunii  
 sui vestigio, quam facie enormiter foeda-  
 ta. Ceterum Gallis prælii campus, Fœ-  
 deratorum tormenta, vexilla, atque sar-  
 cinæ cesserunt. De cæsorum numero  
 variant Scriptores, utrinque vero quin-  
 decim millia, quorum una pars ex Gallico,  
 duæ ex Fœderato exercitu erant, desi-  
 derata fuisse, certiori calculo definiri po-  
 terit. Ex Gallis præter Gastonem tru-  
 cidati fuere Ivo Alegrius, Molardus Vas-  
 conum



Sæcul. XVI. conum & Empserus Germanarum legio-  
 A.C. 1512. num Tribuni, necnon Baro de Granmon-  
 tio, Maugironus & plurimi alii. Fœ-  
 derati luxerunt Menaldum Cardonnam,  
 Petrum Dacunam, pluresque centuriones;  
 solus vero ex Pontificis exercitu Pazzius  
 Italorum Tribunus cecidit. Capti sunt  
 Joannes de Cardonna, Bitunti Marchio,  
 Fabricius Columna, Piscariæ Marchio,  
 Navarrus, Cardinalis Medicæus Papæ  
 Legatus, centumque alii Nobiles ac  
 Tribuni.

## §. CIV.

*Ravenna assultu capta atque a Gallis  
 direpta.*

*Marian. l. 30*  
*n. 41.*  
*Raynald. ad*  
*ann. 1512.*  
*n. 21.*  
*Rubeus hist.*  
*Rav.*

Fuxensi mortuo, exercitus imperium Pa-  
 licio deferebatur, qui victrices copias  
 suas mox Ravennati urbi admovens, ad  
 eandem muri ruinam, a qua pridie re-  
 pellebatur, exercitum duxit. Inde fa-  
 ctum, ut Marcus Antonius Columna, qui  
 urbi præerat, missis quantocius Deputa-  
 tis deditionem fieri postularet, de cujus  
 tamen legibus cum ageretur, Germani  
 unacum Vasconibus, ubi muri hiatus pa-  
 tebat, assultum tentabant, ac post mediæ  
 duntaxat horæ labores per disjectam mæ-  
 nium partem urbem ingressi, eam diri-  
 puerunt; Galli enim parta victoria ferocio-  
 res ac Gastonis jactura magis exacerbati,  
 viola-

violatis deditiois legibus, urbem misere devastabant, tantaque erat in Ravennatenses Gallorum crudelitas, quantum, qui oculis non subjecere, animis concipere non possunt; omnes enim humanitatis limites excesserat effera militum licentia, nulloque habito respectu sacra æque, ac profana hisce indomitis, impotentibusque furis exponebantur. quinimo etiam referunt Historici, quemdam Jachinum peditum centurionem eo impietatis devenisse, ut ex quibusdam Ecclesiis sacra lintea auro intertexta auferret, atque ex iis sacras vestes conficeret, talique apparatu Ravennatem urbem pervagaretur, de ipsis suis sacrilegiis impudentius sese jactitans; hic tamen meritas postea impietatis suæ poenas dedit. Porro tam opima in urbe præda inveniebatur, ut divitiarum copia militum expectationem superaret, Gallique miseræ urbis hujus spoliis ditescerent; Nec tamen hic stetit victorum insolentia; ipsam enim civitatem comburere decreverant, jam jamque ignem subjecerant, Palicius tamen opportune superveniens, incendii calamitatem prævertit. Altero post die Marcus Antonius Columna, qui ad arcem confugerat, deditioem obtulit, quæ eidem concedebatur, ea tamen lege, ut nec ipse nec milites ejus solido trimestri ad-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1512.

*Hist. Eccles. Tom. XXXII.*      Z      ver-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1512. versus Gallos arma fumerent; sub iisdem quoque conditionibus Julius Vitellius Episcopus Tivernensis urbis suæ portas Victoribus aperuit; postea vero omnes Romandiolæ urbes Sanseverinati Cardinali Pisani Concilii Legato sese subjecerunt, Forolivio, ac Foro-Cornelio exceptis. Ast hic stetit secundi prælii successus, ipsismet Gallis victoriæ cursum remorantibus.

## §. CV.

*Papa, omnesque Romani hujus victoriæ fama territi.*

*Guic. l. 10.*  
*Raynald. hoc*  
*ann. n. 22.* Insignis hujus victoriæ fama late ubique diffusa Romanos cives haud minori terrore oppressit, perinde acsi Galli jamjam urbis portas invaderent: unde Cardinales ad Pontificis palatium accurrunt, ad ejus pedes sese provolvunt, urgent & instant, ut tam suæ quam Collegii saluti prospiceret, postea eidem exponebant, quod merito timendum sit, ne Proceres Romani seditionem moveant; eoquod jam plures eorum secreta cum Gallis consilia cuderent, atque inter eos non infimus esset Urbinatis Dux, nec temere conjici posse ajebant, quod Dux ducentos suos Lancearios, aut peditum quatuor millia juncturus sit copijs. quas Pompejus Columna, Robertus

bertus Ursinus, Antonius Sabellius, Petrus Marganus, & Laurentius Mancinius in variis status Ecclesiastici urbibus conscripserant. His perceptis nil propius videbatur esse, quam ut Papa importunis Cardinalium precibus cederet, cum ecce! Ferdinandi, Venetorumque Legati opportune accurrunt, ac Papam metu liberant, illatæque cladis acerbitatem pro viribus diminuunt, & huic malo expeditum adesse remedium exponunt, necnon subjungunt, Helvetios numero longe plures proxime adventuros, quam ad reparandam eorum jacturam, qui Ravennatensi prælio occubuisent, necessarii forent; ac Angliæ Rege Gallis bellum nunciante, brevi eorum victoriis finem imponendum, eoquod potissima foederati Equitatus pars unacum Cardonna & Carvajalo feliciter victorum manus effugisset, Hispani vero equites, haud dubie foederati exercitus robur, compositæ sese recepissent, denique militarem Gallorum turbam occiso eorum Duce corpus esse sine spiritu inquebant.

Sæcul. XVI  
A.C. 1512.

§. CVI.

*Papa a Cardinale de Medicis animo erectus.*

Verum cuncta hæc rationum momenta anxias Papæ curas parum sedabant,

Z 2

bant,

Sæcul. XVI. bant; Cardinalium vero, qui eidem, ut  
 A.C.1512. in exteri Principis ditionem confugeret,  
 suadebant, consilia iniquo ferebat animo,  
 veritus, ne aut ignaviæ, aut pannici ti-  
 moris calumniam, atque ludibrium in-  
 curreret, si forte non adeo urgens pericu-  
 lum reapse subesset. Ut ergo facilius  
 sese expédiret: satius est, inquit, Gallos  
 pacis spe detinere, Florentini enim illius

*Buanocours.* conciliatores erunt; interea vero Ba-  
*in Diariis.* sciæ Architalasso meo negotium dabo, ut  
 suas triremes ad civitatem veterem  
 adpelleret, sicque ceteris persuasum erit,  
 me conscensis navibus Neapolin petitu-  
 rum. Cum jamjam Papa hæc consilia  
 exequi decerneret, ejus animum adeo  
 dextre Cardinalis Medicæus erigebat, ut

*Raynald. l. c.* Pontifex omni metu depulso pristinam  
 n. 23. suam serenitatem revocaret; Cardina-  
 lis enim a Palicio captus, tam scite Pia-  
 sani Concilii Purpuratos sibi devicerat,  
 ut ab eis de toto Gallicarum rerum sta-  
 tu exacte edoceretur: quocirca Julii  
 Pontificis gratiam sibi demereri persua-  
 sus, eidem omnia, quæ percepisset, ma-  
 nifestare statuit: hanc ob rem a Palicio  
 veniam petiit, ut pro privatis suis nego-  
 tiis Julianum Medicæum, Rhodiorum  
 Commendatorem, Patruëlem suum Rö-  
 mam mittere posset, pollicitus, se Pa-  
 pam, suosque amicos, ut lytrum pendé-  
 rent, inducturum, insuper etiam eidem  
 spem

spem fecit, se recuperata mox libertate  
 pacem inter Sedem Apostolicam, Gallos-  
 que conciliaturum. Annuuit Palicius hoc  
 promisso captus.

Sæcul. XVI  
 A.C. 1512.

## §. CVII.

*Julianus Medicæus ad Papam a Le-  
 gato Cardinale missus.*

Ergo Julianus Medicæus Romam venit,  
 atque ad secretum admissus collo-  
 quium summo Pontifici hæc exposuit:  
 notum sit sanctitati vestræ, quod Galli in  
 Ravennatensi prælio ingentem cladem  
 sint perpeffi, & Palicius cum Sanse-  
 verinate Cardinale simultates habeat,  
 insuper Galli ferme innumeris Ravennæ  
 spoliis onusti signa deferunt, & quod plus  
 est, Helvetiorum exercitus jamjam Me-  
 diolanensis Ducatus fines attigit; proin  
 Palicius compellitur, ut ad tuendam hanc  
 conditionem selectiores suas copias abdu-  
 cat. Denique nil eorum oblitus erat Ju-  
 lianus, quibus Pontifici persuaderet, vi-  
 ctiores in nupero prælio ipsis devictis  
 longe magis acerba cæde prostratos fuis-  
 se, & Gallorum exercitum penitus ad  
 incitas redactum, proxime autem in fa-  
 vorem foederatorum ab Italis seditionem  
 in Gallos concitandam esse. Julius hac  
 narratione permotus, haud ultra de pace  
 serio agere constituit, unice intentus, ut

Z 3

copiis

Sæcul. XVI A. C. 1512. cois suis restauratis exercitum oppido validum in aciem educeret. Quapropter Patrum Senatum præter morem convocavit, ac Julianum adesse jussit, ut congregatis totam rei seriem exponeret. Nec tamen ejus sermo Cardinalibus omnem metum depulit, quapropter adhucdum plures eorum Ludovico XII. favebant; licet hic ante Ravennatensem pugnam Fabricium Carrettam Finariensis Cardinalis fratrem Romam ablegasset, ut conditiones pacis omnino proficuas Pontifici offerret.

## §. CVIII.

*Amplæ pacis conditiones a Rege Pontifici oblatae.*

*Bembo hist.* *l. 12.* *Raynald.* *hoc ann. n. 24.* **H**æ vero pactiones potissimum tres complectebantur articulos, qui hucusque præcipuum erant Regem inter & Papam simultatis argumentum. Ergo Ludovicus hæc proposuit, I. Bononia a Gallo restituetur Pontifici; II. Pisani vicissim promittent, quod suam Synodum Mediolanum translata omnino extinguere velint. III. (\*) Ferrariæ Dux

---

(\*) O ludricam Scænam! paulo ante Concilium convocare pro reformanda Ecclesia omnino

Dux illata Pontifici damna, injuriamque Sæcul. XVI. A.C. 1512.  
 reparabit, dummodo ei a censuris libera-  
 to illius ditio denuo reddatur, ac ipse  
 pristinis immunitatibus frui permittatur.  
 Præter Cardinalem Strigoniensem etiam  
 Nannetensis Episcopus, nomine Guibe-  
 itidem Cardinalis, licet hucusque nun-  
 quam alicui parti sua studia addixisset,  
 vehementer tamen instabat, ut hæ con-  
 ditiones acceptarentur; his etiam acces-  
 serunt tam validæ Sacri Collegii pre-  
 ces, totiusque populi vota, ut Papa eo-  
 rum desideriis cedere videretur; quam-  
 dam enim pacis formulam die vigesima  
 Aprilis firmabat, quam Cardinalibus  
 concordie conciliatoribus quantocius  
 tradidit, eo etiam tempore Ferdinandi,  
 ac Venetæ Reipublicæ Legatos ad se  
 venire jussit, eisque significavit, se id  
 consilii arripuisse, ut Ludovicum pacis  
 spe detentum a reparando ejus exer-  
 citu averteret; hac enim via bellum  
 priori atrocius parandi spacium ac-  
 quirere ajebat.

## §. CIX.

maino necessarium jactabatur, nunc vero illius  
 dissolutio ad redimendam belli vexam acce-  
 pratur.



Sæcul. XVI.  
A. C. 1512.

§. CIX.

*Ludovicus a Julio delusus.*

*Gomes. in  
vita Ximen.*

Firmiter equidem Julii Papæ animo restaurandi belli consilium jam antea infedit, in hac tamen sententia magis firmabatur crebris Regis Catholici adhortationibus: Ximenius quoque Cardinalis vehementer Papam stimulabat, ne hostium suorum numero terreretur, hancque in rem eidem offerebat, quicquid virium suarum esset, eoquod gratitudinis legibus se adstrictum putaret, ut disertis verbis contestaretur, se ad nutum Sanctitatis suæ omnes, quascunque colligere posset, pecunias submissurum. Julius harum ope fretus, Ludovicum inani spe ludere pergebat, unice intentus, ut victoriæ fructus colligendi spacium Gallis præriperet, qui haud dubie facillique negotio victricia sua arma ulterius protendissent, si alia via rebus suis prospexissent. Interea Cardinales Papam assiduis precibus urgent, ut Sedis Apostolicæ Nuncium in Gallias mitteret, qui foederis articulos Romæ subscriptos firmaret; Julius quoque, ut tutius Cardinales circumveniret, Tiburis Episcopum Avenionensem Legatum ablegat, dato negotio, ut Ludovicum ad firmandos hos articulos induceret, & sic  
acce-

accedente etiam Pontificis auctoritate, Sæcul. XVI.  
A.C. 1512.  
atque consensu, pax eo citius conficere-  
tur; nihilominus Pontifex hunc Præsu-  
lem publicis concessæ auctoritatis, facul-  
tatisque literis instruere, studiose negle-  
xit: eo tamen insuperhabito, Rex nomen  
suum apposuit, nec majori diligentia sibi  
præcavit, quam ut singulis hisce tribus  
articulis conditiones, quas ratas habuis-  
set, inseri juberet.

## §. CX.

*Palicio fugiente plurimi a Gallis  
deficiunt.*

Palicius pacis, quæ Romæ ac Parisiis Guicci. l. 10.  
firmata esset, fiducia motus, Sanse-  
verinati Cardinali in Romandiola tre-  
centos Lancearios, peditum sex millia  
ac mediam tormentorum partem reli-  
quit, cum ceteris vero copiis toto pedum  
studio Parmam contendit, inde Mediola-  
num sese recepturus. Itali, cum Gallos  
hac fuga victoriarum cursum sistere in-  
telligerent, datam illis fidem impune  
frangendam arbitrabantur: Unde Urbi-  
natis Dux nulla mora Julio Papæ suo  
Patruo sua obsequia obtulit, & cum illo  
in gratiam rediit: ut vero ab ejus mente  
præteritorum criminum memoriam de-  
leret, ipse ducentos Lancearios suos, pe-  
ditumque quatuor millia Gallorum auro

Sæcul. XVI  
A. C. 1512.

conscripta Pontificiis copiis junxit. Pompejus quoque Columna, & Robertus Urfinus, eo quod Ducis inconstantiam imitarentur, præmium inde reportabant, hic Regiensi Archiepiscopatu, ille dignitate Cardinalitia decoratus. Denique etiam Proceres Romani, qui nuper arma adversus Papam capere parabant, jam in ejus gratiam reverti certarunt, atque venia a Julio obtenta pecunias, quas a Galliarum Rege ad conscribendos milites acceperant, reddere neglexerunt. Ceterum Helvetiorum jamjam Mediolanum invadentium adventus Palicium e Romandiola excedere compulit.

Ludovicus sese a Julio delusum intelligens, Cardinali Medicæo libertatem reddere recusavit, optandumque fuisset, ut illum arctioribus vinculis constrictum tenuisset, cum hic Gallorum in se benevolentia abuteretur; nam idem militibus ob censuras a Papa in eos vibratas, quamvis illæ reapse vana essent fulmina in Auctoris sui caput tandem recasura, terrorem incussit, illisque exposuit, eos unacum suo Rege ejusmodi censuris irretitos esse: demum vero injecto metu eisdem pollicitus est, se illos dummodo cum armis suis a signis discedere, secumque Ducum suorum equos abducere vellent, a sacris hisce vinculis auctoritate Papæ soluturum; hanc enim sibi ab eodem

dem datam esse potestatem. Indigno Sæcul. XVI.  
A.C. 1512.  
hoc zelo Cardinalis tantum valebat, ut  
plures inclyti admodum milites a Gal-  
lorum vexillis avocarentur, quod facinus  
severa poena dignum fuisset, nisi reveren-  
tia, qua Galli semper in Romanam Se-  
dem insuperhabita ejusdem arrogantia  
ferri solent, illos retinisset. (\*)

## §. CXI.

(\*) Cui, amabo, tam insulsa, tam impia &  
sacrilega garrulitas stomachum non moveat, qui  
totum belli exitum Gallis adeo funestum ex hac  
ipsa Continuatoris relatione percipit, minime  
deprehendit, quod intentata anathematis poena  
in Papam auctorem suum reciderit. Ast quo-  
tiescunque aliquis Pontifex in quosdam Franciæ  
Ministros censuram tulit, toties queritur Con-  
tinuator, quod Papa potestatis suæ limites ex-  
tesserit, quod ejus fulmina mere inania, bruta,  
& vana sint, quodque summa sit Romanæ Se-  
dis arrogantia; intactas vero ejusmodi censu-  
ras, ac Papæ potestatem relinquit Continuator,  
quoties Pontifices ejusmodi anathemata in Fran-  
ciæ hostes vibrarunt; eapropter avide expe-  
ctant Lectores, ut tandem Continuator leges  
præscribat, juxta quas ejusmodi anathemata  
ac poenæ censerī debeant legitimæ, efficaces,  
atque intra concessæ potestatis limites fulmi-  
nata.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1512.

§. CXI.

*Sessio septima Synodi Pisis Mediolanum translatae.*

*Act. Conc. II.  
Pis. p. 183.  
& seq.*

Interea Pisani Patres Synodum suam Mediolani continuabant, cum vero viginti quatuor dies, quos Pontifici eo sine præscripserant, ut infra hunc terminum poenas in eos latus revocaret, jamjam evoluti essent, hinc die decima nona Aprilis feria secunda septimam Sessionem celebrarunt. In ea Tristanus Salazart Archiepiscopus Senonensis Sacrum de Spiritu Sancto peregit, lectoque Evangelio ex capite 10. S. Lucæ deprompto, *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis*, Joannes de Messiac jurium Doctor, necnon ex Abbatis Cluniacensis, ejusdemque Ordinis Procuratoribus unus sermonem habuit in hæc Joannis verba: *Docerit vos omnem veritatem, quæ desumpsit ex ipsomet Evangelio in Missa decantato.* Enimvero illius oratio gravibus admodum verbis concepta erat, nec ejus culpæ imputari poterat, quod Patres ad eliminandas corruptelas, atque tollendam populi offensionem, de qua querebatur, non illico manum admovissent, quippe vehementer adhortabatur eos, *ne infelicitate temporum & armorum strepitu accepto ab Ecclesiasticæ Re-*  
forma-

formationis opere desisterent, confutavitque illorum pessimos errores, qui ipsos Conciliares Patres schismaticos nuncupabant. Sæcul. XVI.  
A C. 1512.

Abfoluto hoc sermone Synodi Promotores Concilii Patribus literas porrigebant, supplices, ut Julius Papa tanquam contumax sententiam suspensionis tam in spiritualibus quam in temporalibus Et ab administratione Papali ipso facto incurrisse, ipsaque administratio ipso jure devoluta ad Pisianum Concilium declararetur.

Id postulantibus Promotoribus Catalanensis, & S. Florii Antistites trina vice in infimo Altaris gradu, dein in medio Ecclesiæ, ac denique ad fores Papam vocabant: Verum cum nec ille, nec ullus alius ejus nomine compareret, Præses pronuntiabat, hujus negotii decisionem ad aliud tempus remittendam, ac maturiori adhuc deliberatione discutendam, ut utilitati Ecclesiæ, ac Pontificis honori magis consultum esset. Ergo nonnisi decreta recitabantur, seu potius ea, quæ in præcedenti Sessione statuta fuere, repetebantur; quippe nonnisi ordinem, modumque, quo in deputationibus procederent, stabilientes, decretum hac super re conditum confirmabant.

§. CXII.

**Sæcul. XVI.**  
**A. C. 1512.**

§. CXII.

*Sessio VIII. Mediolanensis.*

*In act. ib. 89.*  
*Et seq.*

*Matth. c. 24.*  
*v. 28.*

**D**ie vigesima prima Aprilis, quæ erat feria quarta, habita est Sessio numero octava, ubi Missa de Spiritu Sancto ab Episcopo Magelonnensi (hodie Montispessulano) decantata, recitatum est Evangelium vigesimæ quartæ Dominicæ post Pentecosten ex capite 24. S. Matthæi, cum videritis abominationem desolationis in loco sancto. Postea Antonius Seurre Parisiensis Doctor, ac Meldensis Canonicus prolixum dixit sermonem, in quo sæpius adludebat in Corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia, selegitque textum ex illis Evangelii verbis: *Ubi-  
cunque fuerit corpus, ibi congregabuntur &  
aquilæ.* Absolutis hisce solemnibus Promotores novum libellum adversus Papam porrigunt, quo eum a sui muneris functionibus suspendi postulabant, innixi Decreto Sessionis XI. Concilii Basileensis, eoquod is post plures citationes comparere neglexisset, jamque quartum in mensem responsi expectatione Patres frustraasset. Hoc facto Præses præcepit, ut summus Pontifex denuo vocaretur a duobus Cardinalibus nimirum Albreto, & Lugdunensi, necnon a Senonensi Archiepiscopo, Agathensi & Tulonensi Præsulibus,

Sæcul. XVI.

A. C. 1512.

fulibus, ac duobus Abbatibus. Hi omnes pro more, ut jam retulimus, trina vice Papam per Guilielmum Noffai Concilii Protonotarium citarunt, nullo autem ejus nomine comparente, Bajocensis Cardinalis hujus absentiam Præsidi significabat; unde postulantibus Fisci Procuratoribus atque Promotoribus denuo contumaciæ sententia in eum ferebatur, ipse vero Augustodunensis consensu suggestu clara voce decretum suspensionis prælegit, his verbis conceptum:

## §. CXIII.

*Decretum Pisani Concilii de suspensione  
Julii II. Papæ.*

*In nomine Patris, & Filii, & Spiritus In aet. Concil. Sancti. Sacrosancta generalis Synodus II. Pisan. Pisana in Spiritu Sancto legitime congregata universalem Ecclesiam repræsentans, & Mediolanum ad tempus translata, ad perpetuam memoriam.*

*Inter sacratissima generalium Conciliorum instituta illud summopere est præcavendum, ne peroptabile necessariumque Ecclesiasticæ libertatis, ac reformationis opus tam in capite, quam in membris aliquo modo interrumpi, aut impediri contingat. Omnis præterea obex removendus, omnisque adversa auferenda occasio. Auferte, inquit Dominus per Esaiam, offendicula de medio*



**Sæcul. XVI.** medio populi mei, & *Apostolus*, modicum  
**A.C. 1512.** enim fermentum universam massam cor-  
 rumpit. Cum itaque auctore Deo ad Chri-  
 stianum populum, & præsertim Ecclesiasti-  
 cum statum de manu tartarei Goliath, &  
 Philistæorum ruina eripiendum, id est de cri-  
 minum incursionibus, quibus & in capite,  
 & in membris languescens periclitatur, &  
 labat orthodoxa Mater Ecclesia, tanquam  
 ab omnibus pietatis zelatoribus desiderabi-  
 lis David in virtute Dei exurgens hoc sa-  
 crum Concilium vario impedimentorum ge-  
 nere sit impetitum, atque laceffitum, & a  
 sui primordio usque in præsens varie turba-  
 tum, atque invasum ab eo præcipue, a quo  
 præ reliquis promoveri ac foveri deberet;  
 nunquam tamen destitit hæc sancta Synodus  
 omni, qua potuit, sollicitudine, humilitate,  
 mansuetudine, ac benignitate ipsum sanctis-  
 simum Papam iterum atque iterum per vi-  
 scera etiam misericordiæ illius, quem juxta  
 Apostolum Deus dedit caput super omnem  
 Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, obsecrare,  
 supplicare, monere, & requirere, ne inconsu-  
 tilem Christi tunicam scinderet. Ast cum  
 iterata supplicatione, ac indulgentia semper  
 idem Papa abutens, contra approbatissimo-  
 rum Conciliorum decreta gravissimis commi-  
 nationibus, interdictis, privationibus aliisque  
 censuris ac sententiis quolibet insidiarum ge-  
 nere, & quacunque potuit militari manu Oe-  
 cumenicum hoc Concilium impedire, dissolve-

re infamare, perturbare, destruere, & in Sæcul. XVI.  
 nihilum redigere summam operam impen- A.C. 1512.  
 derit.

His præmissis Patres prolixo admo-  
 dum sermone ea enarrabant, quæ solerter  
 adhibuere, ut Papam ad fovendam Sy-  
 nodum inducerent, tandem vero ita con-  
 cludunt: Quare omnes & singulos Cardi-  
 nales, Patriarchas, Archiepiscopos, & Epis-  
 copos, Abbates & Prælatos Cathedralium,  
 & Collegiatarum Ecclesiarum, capitula, Re-  
 ges, Principes, Duces, Marchiones, Comi-  
 tes, Barones, Universitates, & Communita-  
 tes, Vicarios S. R. E. Vasallos, Guberna-  
 tores, Feudatarios & subditos, omnesque  
 Ecclesiasticas etiam Regulares & sæculares  
 personas cujuscunque gradus, dignitatis,  
 præminentiae, status, & conditionis existant,  
 universumque simul populum Christianum  
 exhortatur hæc Synodus, atque interdicit, ne  
 Domino Julio Papæ ab omni Papali admi-  
 nistratione, ut promittitur, jure suspenso o-  
 bediant, vel intendant, declaratque ac deter-  
 minat irritum ac inane, quicquid a quoquam  
 quavis auctoritate scienter vel ignoranter in  
 contrarium attentari contigerit. Declara-  
 mus enim, illum manifestum esse hujus sancti  
 Concilii perturbatorem, contumacem, & in  
 aperta rebellionem persistentem, schismatis ex-  
 citatorem, induratum, & obstinatum, atque  
 eo ipso incurrisse pœnas in sacris decretis  
 Constantiensis & Basileensis Synodi latis,  
 Hist. Ecclesiast. Tom. XXXII. A a atque

**Sæcul. XVI.** atque ab omni in spiritualibus Papali administratione ipso facto suspensum esse & fore, A. C. 1512. ipsamque administrationem ad ipsam Synodum fuisse, & esse ipso jure devolutam: statuit quoque, & ordinat Synodus hujus decreti publicationem in præsentis Sessione factam, ejusque affixionem in valvis Mediolanensis, necnon Florentinæ, Genuensis, Bononiensis, & Veronensis Cathedralium Ecclesiarum, ad instar edicti Prætorii vim habere monitionis & executionis, universosque ita ardere, acsi personaliter intimatum fuisset.

Datum in Sessione publica in Cathedrali præfata Ecclesia solemniter celebrata die vigesima prima Aprilis Anno a Nativitate Domini millesimo quingentesimo duodecimo.

Perlecto hoc Decreto duo Protonotarii a Concilii Patribus sciscitabantur, an illud edictum ratum haberent; omnesque responderunt: *Placet.*

#### §. CXIV.

*Concilii II. Pisani Mediolanum translati exitus.*

*Ep. Pet.  
Card. aut  
Pat. Conc.*

**H**oc ultimo decreto ferme tota exhausta est Pisani Concilii auctoritas; Galli enim cum postea a Cæsare relictis essent aufugerunt, & Prælati quoque Mediolano Lugdunum contenderunt, ubi quidem Synodum suam prosequi nitebantur, ast in-

anes

anes fuere eorum conatus; quamvis enim Franciæ Rex hoc Concilium ab Ecclesia acceptari, immodica cupiditate flagra-  
ret, ac propterea varias vias tentare impelleretur, nihilominus cuncta illius molimina successu suo frustrabantur: Cum autem Blesis Rex ageret, eum adeunt Bajocensis, sanctæ Crucis, & Sanseverinas Cardinales, suadentque, ut ad Septentrionis Reges quemdam ablegaret, qui eos ad acceptandum hoc Concilium sollicitaret. Annuit Rex, selegitque Petrum Corderium, qui, comitantibus eum pluribus aliis, primo Scotiam petiit, Regique Jacobo, ac sui Regni Præsulibus Legationis suæ seriem exposuit. Rex quidem Corderium benigne excepit, seque Ludovici consiliis suffragaturum spon-  
dit: Ne vero in re tanti momenti temere quicquam decerneret, Regni sui Prælatos, Proceresque Edinum ad celebranda comitia convocavit, quibus Corderius quoque aderat. Præsules prolixo admodum sermone de Synodo, & Pontificis auctoritate differebant, ac se cujusdam lucubrationis a Cajetano editæ, de qua proxime sermo redibit, principiis innixi, palam enunciarunt; ignorare se aiebant, quæ ratione Pisana Synodus tanquam legitima haberi posset, cum absque summi Pontificis auctoritate, imo eo omnino obstante convocata esset. Corderius, cum

Sæcul. XVI. firmioribus principiis imbutus, ac infu-  
 A.C. 1512. per ea rite proferendi gratia præditus ef-  
 set, Prælatorum dubia dissolvit, tanta-  
 que soliditate, atque efficacia Synodum  
 Pontifice superiorem esse demonstravit,  
 ut Scotiæ Rex quibuscunque Ludovici  
 postulatis cedere sponderet, quamvis ad-  
 deret, sibi summopere displicere, quod  
 Galliarum Rex cum summo Pontifice si-  
 multates foveret: hunc ergo ut in Pa-  
 pæ gratiam revocaret, se nil intentatum  
 relicturum, eaque de causa speciatim se  
 Romam, Pisasque Legatos missurum,  
 Scotiæ Rex spondit. His perceptis Pe-  
 trus Corderius e Scotia in Daniam profe-  
 ctus est, sed pariter oleum & operam  
 perdidit, Rex enim ipsi hæc declaravit:  
 molesta mihi est animorum dissensio, qua  
 Galliarum Rex a summo Pontifice avul-  
 sus est; hæc enim Christianæ Reipublicæ  
 exitialis esse noscitur, unde protinus re-  
 gni mei Præfulum comitia convocabo,  
 ut quid hac in re agendum sit, decerna-  
 tur: ceterum siquid meum consilium valet,  
 cisRhenum convocandam censeo Oecume-  
 nicam Synodum, cui Germaniæ Princi-  
 pes, Reges, ceterique interesse possent,  
 ego vero nulla mora Legatos meos Ro-  
 mam mittam, qui summo Pontifici hoc  
 consilium suggerant: præterea Mosco-  
 viæ quoque, ac Russiæ Duces sollicita-  
 bo, ut & ipsi Oratores suos ad futurum  
 Con-

Concilium decernant, eorum vero, quæ Sæcul. XVI.  
 in ejusmodi Synodo definientur, Regi A.C. 1512.  
 exactam communicabo notitiam. Hic  
 tandem fuit Corderianæ Legationis exitus, Legato autem reduce Pisani Concilii Patres jamjam Lugdunum commigrabant, quos tamen datis literis de tota rei serie, prout mox recensuimus, Corderius certiores reddidit.

§. CXV.

*Ludovicus Mediolanense Concilium regio diplomate edito acceptans.*

Nihilominus insuperhabito sinistro legationis successu, Ludovicus Galliarum Rex decretum de suspensione Pontificis diplomate die decima sexta Junii dato acceptavit, illudque in toto suo regno effectui dari jussit, adjecta inhibitione, ne quis beneficia cujuscunque generis a Papa impetrare, aut suarum Constitutionum, quas forte conditurus esset, rationem habere præsumeret: Edicti vero sui hæc summa est.

Extat in actis Conc. Pisani. in quarto.

*Ludovicus Dei gratia Francorum Rex! &c.*

*Cum per Sacrosandam universalem Ecclesie militantis Synodum, debite ac legitime pro reformatione Ec-*

Extat in act. Conc. Pisani in 4to.

A a 3

ele-

Sæcul. XVI  
A.C. 1512.

*clesiæ in suo capite & membris congregatam, ac non ita pridem ad Mediolanensem urbem nostram translata summus Pontifex cum solemnitatibus in tali casu requisitis atque observatis juxta decreta Basileensis & Constantiensis Concilii fuerit a summi Pontificatus administratione suspensus, prout elucet ex Bullis hac super re confectis, ac datis die vigesima prima Aprilis anno millesimo quingentesimo duodecimo, necnon ad nos ab eadem Synodo eo fine transmissis, ut in illis contenta acceptemus, atque in nostro regno servari & observari faceremus, hinc ex Senatus nostri sententia, justisque ac honestis ex causis, quæ in præfatis Bullis allegantur, necnon ex motu proprio ac scientia desiderantes, ut Ecclesiæ abusus tam in capite quam in suis membris corrigantur, ac solida pax & unio stabiliatur, necnon præfati Concilii Constantiensis & Basileensis decreta effectui dentur, præsens decretum acceptavimus, ac volumus, & præcipimus, ut illud etiam in nostro Regno, terris, ac conditionibus juxta suum tenorem ac formam quoad singula capita observetur, & custodiatur. Hæc facientes declaramus, a die præfatæ suspensionis omnibus Bullis a dicto Concilio edendis fides adhibeatur, ac juxta illas lites dijudicentur, ac dirimantur. Prohibuimus etiam, ac prohibemus singulis nostris subditis, ne a præfato summo Pontifice durante hac suspensione impetrentur quorum-*

rumcunque beneficiorum provisiones, sub pœ-  
na mulctæ arbitrariæ. Volumus etiam, ut Sæcul. XVI.  
A.C. 1512.  
ejusmodi provisionum delatores comprehen-  
dantur, ac velut nostrarum legum ac statu-  
torum transgressores castigentur, impetran-  
tes vero compellantur, ut irritari permittant,  
quæcunque ab eis contra præsentem accepta-  
tionem ac declarationem nostram fuere at-  
tentata. Præsentibus hisce præcipimus ami-  
cis & fidelibus nostri Parisiensis Senatus  
Ministris, ut juxta voluntatem nostram præ-  
fatam suspensionis Decretum ad acta refe-  
rant, & promulgent unacum acceptatione,  
& declaratione nostra &c. Hæc enim est vo-  
luntas nostra. Datum Blesis die decima sex-  
ta Junii Anno Domini millesimo quingen-  
tesimo duodecimo, regni nostri decimo quinto.

Relatæ fuere hæc Regis litteræ ad acta  
Regii Senatus die vigesima quinta ejus-  
dem mensis.

§. CXVI.

*Gallicæ Regnum a Julio interdicto  
subiectum.*

Julius indignitate facti ultra modum  
commotus, Constitutionem edidit,  
qua cuncta hucusque Pisis, Mediolani,  
ac Lugduni attentata declaravit irrita, *Raynaldus*  
nec ulteriolem indulgentiam exhibuit Car-  
vajalo, Brissonneto, Perlero & Sanseve-  
rinati Cardinalibus; eos enim velut schis-  
mati-

A a 4

mati-



Sæcul XVI.

A.C. 1512

maticos, & Hæreticos in suam ipsorum ruinam toto impetu ruentes, ac non nisi sanctæ Ecclesiæ, quæ eorum tamen Mater est, unionem discindere sollicitos increpavit: cum autem hac Constitutione indignationi suæ arctiores adhuc posuisset limites, eandem in ipsum etiam Franciæ Regnum extendit, Regemque Ludovicum anathemate perculit, ac Regnum interdicto subiecit, omnesque subditos, præcipue Normanos, & Vascones a fidelitatis Sacramento absolvit; cumque Lugdunensis civitas Cardinalibus, ceterisque Pisanis Præsulibus receptaculum indulgisset, quos tamen velut rebelles, atque a fidelium cætu segregatos ac perditionis filios, ut inquit Papa, habebat, ideo Lugdunenses a jure liberis nundinas agendi spoliare, easque Genevam transferre conatus est.

## §. CXVII.

*Ludovicus huic interdicto oblutatus.*

Galliarum Rex, licet pessima fuerit rerum suarum conditio, nihilominus sese huic Constitutioni opposuit, quinimo, ut inquit Thuanus Præses, eo usque profectus est, ut spretis multis multorum, quibus alioqui plurimum tribuebat, suasionibus moribundi senis inanes diras contraria anathematis denuntiatione revinciret, cuso etiam

Nea-

Neapoli aureo nummo, qui effigiem suam ex una parte, & insignia Neapolis ac Siciliae ex altera referebat cum hoc elogio: *Perdam Babylonis Nomen.*

Sæcul. XVI.  
A.C. 1512.

§. CXVIII.

*Cajetani liber de auctoritate Papæ & Concilii ad Pisanos Patres missus.*

Jam mense Januario, anno Domini supra millesimum quingentesimo duodecimo delatus est ad Pisanos Patres liber Thomæ de Vio, qui diebatur Cajetanus, eo quod Cajetæ, quæ est Neapolitani Regni civitas, die vigesima Februarii Anno Salutis millesimo quadringentesimo sexagesimo nono primam lucem aspexisset. In hoc libro Auctor disserit de Pontificis potestate supra Concilium, seu potius de auctoritate Papæ & Concilii inter se collata; cum vero Pisani post maturam discussionem hunc librum dogmata Regnum Regimini perniciose continere iudicarent, illum ad Universitatem Parisiensem mittere censuerunt, addita quadam epistola, cui quinque Cardinales, Lugdunensis & Senonensis Archiepiscopi, Lutionensis, Magalonensis, & Engolismensis Præsules, necnon duo Abbates die decima Januarii nomen suum apposuerunt. Epistola his verbis erat concepta:

*In act. Pis. p. 15.*  
*Argent. Coll. jud. t. 1. p. 352.*  
*Spond. ad hunc an. n. 15.*  
*Raynald. ib. num. 11.*

**Sæcul. XVI.** *Sacrofancta Generalis Synodus Pisana*  
**A.C. 1512.** *in Spiritu sancto legitime congregata univer-*  
*salem Ecclesiam repræsentans, & per con-*  
*tinuationem Mediolanum ad tempus transla-*  
*ta, dilectis filiis, Rectori, Doctoribus,*  
*Magistris & Regentibus almæ Universita-*  
*tis studii Parisiensis, Salutem & omnipoten-*  
*tis Dei Benedictionem. Dilectus Filius Gau-*  
*fredus Bouffard, Cancellarius Parisiensis*  
*jussu nostro tradet vobis libellum quemdam*  
*suspectum, & plenum injuriis contra Con-*  
*cilium Constantiense, & Basileense, ac no-*  
*strum, & contra Joannem Gersonem opti-*  
*imum Ecclesiæ defensorem, compositum per*  
*quemdam Fratrem (\*) Cajetanum, homi-*  
*nem audacem & periculosum, quem deside-*  
*ramus pro suo demerito castigari. Ideo hor-*  
*tamur vos in Domino, ut libellum ipsum di-*  
*ligenter examinetis, & discutiat, mittatis-*  
*que ad nos celeriter determinationem vestram*  
*doctrinalem, qua possimus juxta ejus auda-*  
*ciam cum vestris sapientissimis Consiliis pru-*  
*denter procedere &c. Datum Mediolani in*  
*generali Congregatione nostra die decima*  
*Januarii.*

§. CXIX.

---

(\*) *Erat is Cajetanus Ordinis FF. Prædi-*  
*catorum Generalis Magister.*

## §. CXIX.

Sæcul. XVI.

A.C. 1512.

*Epistola Galliarum Regis hac super  
re ad Universitatem Parisiensem.*

Paulo post Ludovicus Franciæ Rex die  
decima nona Februarii hanc in rem  
ad eandem Universitatem Parisiensem li-  
teras dedit regio sigillo munitas, quarum  
tenor est. „ Carissimis ac multum dile-  
„ ctis: Percepimus, quod Pisanum Con-  
„ cilium nunc Mediolani congregatum  
„ per carum ac dilectum nostrum Gau-  
„ fredum Boussard Magistrum Universi-  
„ tatis nostræ Cancellarium ad vos mi-  
„ serit librum, a vobis perlustrandum,  
„ atque examinandum, quem non ita pri-  
„ dem elucubratum fuisse comperimus,  
„ in præjudicium Sanctorum Ecclesiæ  
„ Conciliorum, atque in contemptum  
„ auctoritatis illorum; in eo enim, ut  
„ nobis relatum fuit, plures continentur  
„ graves enormesque errores minime to-  
„ lerandi; cumque sacrosancta Ecclesiæ  
„ Oecumenica Concilia semper juvare,  
„ ac fovere, eorumque auctoritatem, ut  
„ par est, tueri decreverimus, preca-  
„ mur vos, ut quamprimum hunc librum  
„ receperitis, eundem sedulo examine-  
„ tis, validisque rationibus confutetis,  
„ si illum veritati adversari creditis.  
„ Hoc si feceritis nobis gratissimum præ-  
„ stabi-

*At Pis. p.  
156.*

Sæcul. XVI., stabitis obsequium., Datum Blesis &c.  
 A.C. 1512. Ut ergo Parisiensis Facultas Regis man-  
dato, ac Pisani Concilii desiderio satisfac-  
 eret, conventu habito, tribus Acade-  
 miæ Doctoribus Jacobo Alaix, Joanni  
 Majori, & Lucionensis Ecclesiæ Profes-  
 sori Theologo negotium dedit, ut adver-  
 sus Cajetani librum calamos suos acue-  
 rent, ex quibus etiam Jacobus sua re-  
 sponsa, quibus titulum *de Auctoritate Ec-*  
*clesiæ* præfixit, typis evulgavit. Nihilo-  
 minus inquit Argentreus: *Nullum omni-*  
*no Decretum Parisiensium Magistrorum ad-*  
*versus libellum Cajetani reperitur in Tabulis*  
*Universitatis Parisiensis, quippe ne schisma-*  
*ti locum darent, a dicenda sententia absti-*  
*nuerunt. Unanimi tamen suffragio impro-*  
*babant, quod Cajetanus auctoritatem Con-*  
*ciliorum Constantiensis & Basiliensis infir-*  
*mare tentaret.*

Argentre  
 lot. cit.

## §. CXX.

*Analysis hujus libri.*

*Thom. de Vio* Hoc Cajetani opus inscribitur: *De Au-*  
*de Auct. Pap.* *toritate Papæ & Concilii sive Eccle-*  
*Fogg. de* *siæ comparata, & dividitur in viginti octo*  
*aud. Pap.* *capita. Præcipuum vero, quod stabilire*  
*& Conc.* *aggreditur, dogma est, quod Pontificis*  
*Dupin. Bibl.* *auctoritas sit suprema in Ecclesia, cum*  
*Script. Eccl.* *Christus Dominus soli Petro claves tra-*  
*Sæcl. XVI.* *didisset, ut ipse ejusque Successores su-*  
*t. 14. p. 124.* *pre-*

Sæcul. XVI.  
A.C. 1512.

premiū universalis Ecclesiæ regimen gererent; cum vero eidem fors opponi potuisset, quod Apostoli æque ac S. Petrus a Christo Domino potestatem suam accepissent, quæstionem hanc examinandam suscepit, utrum omnes Apostoli immediate a Christo suam potestatem accepissent, & an illa, quam receperunt, æqualis fuerit cum potestate D. Petro collata. Post hæc adductis textibus atque argumentis ultro citroque allegari solitis, concludit, Apostolos in munere Apostolico fuisse æquales, atque immediate a Christo Domino potestatem Apostolatum exercendi recepisse, affirmat tamen, eos, in quantum erant oves Christi, Petro inferiorem accepisse jurisdictionem; hunc enim solum & supremum gregis sui Pastorem a Filio Dei constitutum. Hoc stabilito inter S. Petri & ceterorum Apostolorum potestatem quinque differentias assignat. *Prima est, inquit Cajetanus, in modo dandi & accipiendi potestatem, quia Petro data est ordinarie, aliis autem ex speciali gratia. Secunda est in officio, quia Petrus factus est Vicarius generalis Jesu Christi, alii vero facti sunt velut Legati, seu Delegati ejus. Tertia est in objecto potestatis, quod aliorum potestas jurisdictionis non erat supra se invicem, sed super alios, Petri vero potestas erat & super reliquos Apostolos. Quarta est in perpetuitate potestatis,*

Sæcul. XVI *statis, quia aliorum potestas finienda erat*  
A.C. 1512. *cum vita eorum: Petri autem potestas us-*  
*que ad consummationem sæculi perseverat,*  
*quia ei non est data tantum pro se, sed pro*  
*omnibus Successoribus suis. Quinta & ul-*  
*tima est in ipsa essentia potestatis, quoniam*  
*auctoritas communiter Apostolis data fuit*  
*velut potentia executiva: Auctoritas vero*  
*data soli Petro est auctoritas Regiminis. Ve-*  
*rum hæc differentiæ prorsus novæ esse*  
*videantur.*

Postea hanc discutit quæstionem: An superior sit Pontificis, quam Concilii Oecumenici potestas, vel utrum Ecclesia vel universalis Synodus ipso Pontifice plus auctoritatis habeat; circa hoc Cajetanus considerat Ecclesiam seu Concilium, vel prout est celebratum cum Papa ejus capite, vel saltem auctoritate ejus auctorizatum, vel quatenus sumitur, ut distinctum contra Papam & caput. Si ergo Ecclesia vel Concilium sumitur unacum Papa, tunc Pontifex cum residuo Ecclesiæ non est majoris potestatis, jurisdictionis spiritualis, quam ipse solus. Si vero Concilium sumitur sine Papa & capite, tunc Papa est supra Concilium, quia est corpus enormiter diminutum, quia est truncus absque principali membro. Cum autem Constantiensis & Basileensis Synodi huic doctrinæ omnino adversentur, hinc earum auctoritatem

tem labefactare, atque diferta utriusque Sæcul XVI  
A.C. 1512.  
verba distinctionibus sine ratione excogitatis eludere nititur.

Posthæc ostendit, quod secluso Papa non sit in Ecclesia potestas legislativa, nec auctoritas judicandi Personas, aut perfectum Concilium celebrandi. Fatetur tamen, quod in certis casibus Ecclesia secluso Papa auctoritatem habeat convocandi Concilium. *I. Si Papa requisitus nollet necessarium congregare Concilium. II. Si Papa propter hæresin est deponendus: III. Si Papa unus aut plures in certa electione laborant, in hoc autem casu, inquit Cajetanus, ne perplexa sit Ecclesia, Concilium habet potestatem duntaxat judicandi verum, si sciri potest, & si sciri nequit, providendi, quod Electores in unum eorum, vel alium conveniant.* In aliis autem quibuscunque eventibus, si certus extat Papa, nec ille hæreticus est, Generalis Concilii convocatio fieri nequit, & si fieret, ejusmodi Synodus inutilis, nulliusque momenti foret, cum Pontifex potestatem habeat irritandi, quicquid illa faceret, vel statueret.

Ægre tamen se expedit ab ea difficultate, quam sibimetipsi objectat, quærens, qua ratione Synodus, si nullam in Pontificem auctoritatem habeat, illum tanquam hæreticum dejicere valeat; nihil-  
omi-



**Sæcul. XVI.** ominus præprimis eorum responsionem  
**A.C. 1512.** profert, qui tenent, quod Pontifex amif-  
 sa fide haud ultra membrum Ecclesiæ  
 maneat, atque eo ipso auctoritate sua  
 privatus, Pontifex esse cesset; hoc tamen  
 responsum Cajetano minus probatur, non  
 enim Papa in hæresin prolapsus, ipso fa-  
 cto exauctoratus est, sed duntaxat exau-  
 ctorandus: dicunt aliqui, subjungit Cajeta-  
 nus, quod quamvis Papa in aliis casibus  
 nullum habeat se ipso superiorem in terris,  
 excepto casu hæresis.

Hanc vero responsionem Cajetanus  
 rejicit, ac tria distinguit, scilicet: I. Pa-  
 palem auctoritatem: II. Ejus Personam:  
 III. Conjunctionem Personæ cum aucto-  
 ritate. Quamvis, inquit, Auctoritas Pon-  
 tificia descendat immediate a Deo, hu-  
 jus tamen auctoritatis conjunctio cum  
 hac Persona ex hominum, scilicet electi,  
 atque eligentium consensu perficitur. Igi-  
 tur potest homo fieri Papa, & cessare,  
 dependenter a potestate humana, quin  
 hæc sit superior vel æqualis, sed inferior,  
 ita ut nullum ei jus competat in potesta-  
 tem Pontificiam, sed duntaxat in unio-  
 nem hujus potestatis cum tali homine.

Cum autem Cajetano objici potuif-  
 set, quod nec alia ratione ceteri Episco-  
 pi a Concilio, ac superioribus Judicibus  
 fuerint exauctorati; non enim destructa  
 fuit

fuit auctoritas Episcopalis, quæ in illis Stecul. XVI.  
 est, sed solum hæc a persona, quæ illam A.C. 1512.  
 possidebat, disjungitur. Hanc opposi-  
 tam sibi rationem Cajetanus diluit, re-  
 spondens, quod hoc eventu potestas il-  
 lius, qui Episcopum deponit, superior  
 existat. Verum contra hoc inferri posset,  
 quod ideo superior sit, quia Synodus vel  
 Judex superior auctoritatem & jurisdic-  
 tionem possidet, quæ ipsi necessaria est,  
 ut talem personam sua auctoritate exue-  
 re valeat; jam vero eadem ratio pugnat  
 in Pontifice hæretico erga Concilium.  
 (\*) Immerito ergo Cajetanus fatebatur,  
 quod Papa ob hæresin bina vice monitus  
 a Synodo deponi posset, cum alibi  
 Papam Synodo superiorem esse do-  
 cuisset. Præterea aliam profert doctri-  
 nam

(\*) *Privatum Episcopum etsi hæreticus non  
 sit, Universali legitima Synodo inferiorem esse,  
 nemo unquam dubitavit, Synodum vero Ponti-  
 fice legitimo superiorem esse, omnis retro ætas  
 ante Pisanum I. Concilium ignoravit; nullus  
 enim unquam Pontifex rite ab ullo Concilio in  
 judicium vocatus vel judicatus est, sed in Ponti-  
 fices vel non nisi schismatici Conciliares, vel le-  
 gitima Concilia in schismaticos Pontifices aucto-  
 ritatem exercuerunt. Veri quoque Pontifices so-  
 lum charitatis intuitu non subjectionis ratione  
 crimina sua coram Conciliis expiarunt.*

*Hist. Eccles. Tom. XXXII.* B b

Secul. XVI  
A. C. 1512.

nam hucusque non auditam, asserens: Papam ob nullum aliud crimen præter hæresin exauctorari posse, huic innixus principio, quod in solo hæresis casu jus divinum depositionem exigat, eaque cetera omnia crimina superet, necnon infidelitas vel hæresis directe opposita sit dotibus in Pontifice requisitis.

His stabilitis sex speciales casus exponit, in quibus Papa deponendus dicitur. I. Si Papa perpetuo captivus detinetur, negat tamen Cajetanus Papam in hoc casu deponi posse, nisi certo constet eum obiisse. II. Si propter demenciam perpetuam inutilis est Ecclesiæ, in hoc quoque eventu dicit, quod Papa non possit deponi, cum enim sit mortuus vita rationali, sine Concilio generali possunt Cardinales procedere ad alterius electionem, perinde ac si in veritate per mortem sedes vacaret. III. Quando omnes Cardinales statim post Canonicam electionem Pontificis morerentur, ita ut non possent publicare illius electionem. In hoc casu affirmat Cajetanus, quod Ecclesia non deponat Papam in foro suo, licet deponat Papam in foro conscientie, quia tum nullus certus est Pontifex. IV. Quando Cardinales etiam viventes non possunt facere fidem de electione sua Canonica in unum, exinde, asserit Cajetanus: Nil aliud inferitur, quam quod Papa incertus Ecclesiæ possit deponi, quod gratis conceditur. V. Quan-  
do

do propter communem errorem, aut generalem subditorum malitiam præsumitur, quod nunquam præstabunt obedientiam tali electo Pontifici. In hoc casu Cajetanus affirmat, Papam nullatenus deponendum, non enim mali ex iniquitate commodum reportent, bonis autem non deerit Dei adiutorium. VI. Quando Papa verus juramento vel voto seipsum ad cessionem obstrinxisset, sed cum scandalo populi differret; ad hunc casum Cajetanus respondet, quod licet Papa ipse teneatur in conscientia, Ecclesia tamen non possit ipsum invitum ad hoc cogere, nec deponere, quia potestatem coactivam super fidelem Papam non habet.

Præterea Cajetanus apologiam libri sui de auctoritate Papæ & Concilii conscripsit, eamque in duas partes divisit; in harum prima duo opinionis adversæ fundamenta discutit, quorum primum ex jure naturæ depromi solet, vi cujus communitas libera & perfecta, qualis est Ecclesia, gaudere videtur potestate sibi caput constituendi, illudque corrigendi, puniendi, ac deponendi, si forte auctoritate sua abuteretur. Hoc tamen ipse principium confutat, respondens: *Natura Ecclesiastici regiminis ab ipsa sua nativitate non a communitate, sed a capite homogeneo Jesu Christo initium sumpsit originis, perfectionis, & potestatis, igitur ad ipsum Principem, non ad communitatem Ecclesiæ spectat*

Sæcul. XVI  
A.C. 1512.

*in sua absentia ordinare de Vicario, & hoc ipsum Salvator noster per semetipsum exequi dignatus est, dum Petrum Apostolum solum ejusque Successores instituit suum Vicarium post resurrectionem: Ast hac ratione argumentum non dissolvitur (\*). Alterum, quod Cajetano objiciebatur, principium erat fundatum in jure divino, seu in textibus sacræ Paginæ, ubi ejusmodi auctoritas ac potestas videtur Ecclesiæ tribui, v. g. in S. Matthæi cap. 18. v. 17. Dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus. Ad quod respondet Cajetanus quod hoc modo Ecclesiæ nomen, ad quam frater deferri jubetur, non de sola universali Ecclesia intelligatur, sed de illa, cui peccans frater subditus est; hæc vero non est quæcunque fidelium collectio, sed Episcopus, qui illius caput existit. Denique Principium, quo potestas Ecclesiastica toti Ecclesiæ data esse statuitur, evertere conatur, comprobans eandem soli Petro creditam fuisse, ab illo autem ad alios Presbyteros atque Ecclesias dimanasse. Nihilominus, si Papa moreretur, omnesque totius orbis Episcopi conveni-*

(\*) Forte ideo, quia Cajetanus disertis verbis non addidit: Non ad Communitatem Ecclesiæ, nec ad schismaticos Præsules spectat ordinare de Vicario, punire eum, corrigere ac deponere.]

venirent, tunc in hoc eventu Cajetanus fatetur, quod illis in universam Ecclesiam potestas (\*) competere, exceptis illis, quæ summi Pontificis propria ac particularia sunt. In secunda apologiæ suæ parte oppositiones sibi speciatim adversus ejus tractatum factas confutare aggreditur. Huic apologiæ Cajetanus ultimam manum admovit Romæ die vigesima nona Novembris Anno Salutis millesimo quingentesimo duodecimo.

3<sup>o</sup> cæc. XVI.  
A. C. 1512.

## §. CXXI.

*Siciliæ Prorex ad reprimendos Neapolitanos in Italiam venire jussus.*

Interea cum Cardinalis Surrentinus, cui Cardonna Neapolitani Regni administrationem detulerat, probe perspiceret, quod sibi plures copię omnino necessariae essent, ut exorto bello populum in officio contineret, ac seditiosos a capessendis armis præpediret, hac ex causa Moncadam, quo nemo magis hoc regnum Gallis rursus subjici formidabat, Neapolin ablegavit, ac omnes copias, quæ Tibure venerant, contraxit, & quibusdam etiam equitum agminibus

*Marian. lib. 3<sup>o</sup>. n. 42. in fin.*

B b 3

nibus

(\*) *Supple Extraordinariam. Si quis adversæ sententiæ argumenta penitus enervata desiderat, consulat vastum, atque eruditum opus R. P. Hieremiæ a Bennetis de Privilegiis Romani Pontificis.*

Sæcul. XVI. nibus auctus, mare trajecit, populi tu-  
 A.C. 1512. multibus obviaturus. Raymundus vero  
 Cardonna Ancona profectus, die tertia  
 Maji Neapolim venit, exercitum suum  
 redintegraturus, novisque militum sup-  
 plementis firmaturus, ut totis viribus  
 belli discrimen adire, suisque hostibus  
 vicem rependere posset.

*Paris de  
 Grffis. t. 3.  
 p. 938.*

Verum ejus consilia successu carebant,  
 quippe Angliæ Rex, inita cum Ferdinan-  
 do pace Eboracensem Cardinalem ac Ar-  
 chiepiscopum Romam decernebat, plena  
 potestate munitum, vi cujus nomine Regis  
 sui foederi accedere valeret. Datum quo-  
 que fuit negotium Eboracensi Cardinali, ut  
 Maximilianum ad inducias, quas Angliæ  
 Rex, ac Venetorum Respublica inter se  
 sanxerant, etiam assensu suo firmandas  
 induceret, ac Ferdinandum Arragoniæ  
 Regem, quatenus hoc foedus omnibus viri-  
 bus tueretur, excitaret. Valuit quoque Le-  
 gationis successus, cum negotium matu-  
 raret non tam Legati sollicitatio, quam  
 amplissimæ utilitatis spes, quam ambo  
 Reges ex mutua armorum societate sibi  
 pollicebantur. Cæsaris quoque animum  
 Ferdinandus ad sua vota potenter incli-  
 nabat, pollicitus, se eidem Burgundiæ  
 Ducatum denuè asserturum; quamvis id  
 nulla vero similis ratio suaderet. Ipse eti-  
 am Ferdinandus eodem proprii commodi  
 impulsu permotus seipsum vicit, conces-  
 sit-

fitque, ut **Consalvus**, quem tamdiu a publicis muneribus excluderat, in Italiam rediret, regii exercitus imperium denuo suscepturus. Hanc rerum vicissitudinem Papa non modo a Cardinale, sed ab ipsomet Rege Ferdinando edocebatur.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1512.

§. CXXII.

*Julius re comperta sancitæ pacis pacta honesto obtentu eludens.*

Tam fausto nuncio Julii desideria expleta videbantur, unde minori moderatione jam in prosperis quam antea in adversis rebus usus nil intentatum reliquit, ut causam obtendere posset, ob quam a foedere inito, Regique Galliarum *Maria. l. 30.* transmissio recedere posset.

§. CXXIII.

*Anathematis comminatio adversus Regem Cardinalium rogatu omissa.*

Jamjam Pontifex in eo erat, ut Galliarum Regi literas mitteret, quibus, *Guicc. l. 10. in fine.* an-  
tequam anathema promulgaret, eundem admonebat, ut Cardinalem Medicæum in Ravennatensi prælio captum libertati restitueret, si vero Rex parere renueret, in illum censurarum severitate animadvertere declaravit. Id vero cum absque Cardinalium sententia exequi nollet, convocato Patrum Senatu, eisdem literas a se scriptas prælegit. Hi vero, cum



Sæcul. XVI  
A.C. 1512.

animum tranquillitate magis placatum fo-  
verent, nec non majori, ac ipse Pontifex  
perspicacia omnino futura mala, quæ ex  
nimio rigore oriri possent, prospicerent,  
Julio exponebant, quod consultius esset  
si Ludovicum Regem, ut Cardinalem eo-  
rum Confratrem liberum dimitteret, pre-  
cibus urgeret, ipsamque anathematis  
comminationem interim differret, donec  
cuncta Regem flectendi media incassum  
exhausta essent. Cessit Pontifex Cardi-  
nalianum consilio.

§. CXXIV.

*Rex copias ex Italia Anglorum bello  
revocare compulsus.*

Cum igitur Ludovicus pacem a Papa  
impetrare desperaret, bellum parare  
compellitur, adeo tamen sinistro successu,  
ut ipse Mediolanensi Ducatu penitus  
exueretur, & Galli e tota Italia pelle-  
rentur: quippe Anglorum exercitus, cu-  
jus adventum minime suspicabatur, jam-  
jam in limine regni sui constitit, ad om-  
nem horam in Gallos irruere paratus.  
Quocirca Ludovicus ducentos regii satel-  
litii Nobiles, ac bis mille quingentos se-  
lectioris militiæ pedites ex Italia revoca-  
re cogitur. Præterea Jacobus Sily supre-  
mus in Normannia ærarii Præfectus, Sta-  
tusque Mediolanensis Procurator, cum  
Regi suo obsequium præstare crederet,  
si

*Perron in  
Lud. XII.*

si eundem in Italia pariter tertia expen-  
 farum parte eximeret, omnes exterarum co-  
 copias dimisit, quas ad tuendum Medio-  
 lani Ducatum antea conscriptas, jam ve-  
 ro huic ditioni haud ultra necessarias exi-  
 stimabat, nimia facilitate persuasus, Fœ-  
 deratos post Ravennatensem cladem uni-  
 ce intentos, ut proprios quisque status  
 tueretur, de alienis vero minime solli-  
 citos fore. Dimissis ergo sic copiis Pali-  
 cio nonnisi mille trecenti cataphracti, pe-  
 ditumque decem millia supererant, quæ  
 tamen copiæ reprimendo hostium incur-  
 sui jamjam imminenti impares erant, in  
 quibus rerum angustiis prehensus in San-  
 severinate opem quæsivit, eum rogans,  
 ut cum copiis suis, quæ Romandiolam  
 defendebant, accederet. Cardinalis nul-  
 la mora Palicii precibus annuens, præ-  
 sidium Ravennatensi archi imposuit, cete-  
 ras vero omnes Romandiolæ urbes civi-  
 um fidelitati commisit, qui tamen a Gal-  
 lorum præfidiariis exonerati, mox in Pon-  
 tificis obsequium revertebantur; quam-  
 vis ceteroquin propensum in bella Julii  
 animum minus probarent.

§. CXXV.

*Concilium Lateranense a Papa  
 adornatum.*

Gallici exercitus numero in Italia val-  
 de imminuto, necnon Palicio Duca-  
 tum

B. b 5

Sæcul. XVI.  
 A. C. 1512.

Sæcul. XVI tum Mediolanensem tueri vix non despe-  
A C. 1512. rante, crevit summi Pontificis fiducia,  
 qui votorum suorum metam consecutus  
 videbatur, cum Helvetiorum non modo  
 sex millia, ut promiserant, sed sexde-  
 cim aut omnino octodecim millia adven-  
 tarent, atque Hispania novas militum  
 suppetias in Neapolis Regnum decrevis-  
 set, & opportune etiam Angliæ Rex sese  
 Fœderatorum partibus addixisset. Tan-  
 to ergo prosperitatum concursu fretus  
 Pontifex, totus in eo erat, ut hostium  
 suorum credulitatem in rem suam verte-  
 ret, atque Pisanum Concilium a rebelli-  
 bus, ut inquiebat, ac schismaticis Car-  
 dinalibus conflatum deprimeret. Qua-  
 propter Romæ illi Concilio, quod die  
 octava Julii anno millesimo quingentesi-  
 mo undecimo ad Lateranense Palatium  
 convocaverat, Romæ initium dedit. Jam  
 prævia sedulitate in quodam Patrum Se-  
 natu ex octo Cardinalibus Congregatio-  
 nem instituit, in qua præcipue ea, quæ  
 in Concilio exponenda forent, maturo  
 iudicio discuterentur, ac non minus or-  
 dinate, quam sedulo instruerentur, quæ-  
 cunque ad disciplinæ reparationem, mo-  
 rum emendationem, ac reprimendam  
 Curia Romanæ licentiam, irrepentesque  
 abusus demum tollendos neces-  
 saria viderentur.

*Marian. lib.*  
 30. n. 43.

HISTO.